


IHS





LIBELLVS

DE BONO ET MALO SYLLOGISMO,

AVCTORE
GEORGIO STENGELIO
Societatis IESV,
olim
IN CATHOLICA ET CELEBRI
Academia Dilingana
Philosophiæ Professore Ordinario,

 editus:

Nunc denuò, quorundam rogatu, ad publicam vtilitatem formis subiectus.

MONACHII
Apud NICOLAVM HENRICVM
clɔ. Iɔc.



PROGRAMMA.

GNosius ingenio superis faber admirandus
Implicuit centum, tecta recurua viis;
Quas semel ingressus sine lino, victima pauit
Semibouemque virum, semiuirumque bouem.
Has opifex solus, solusq; has Theseus exijt;
Hic Ariadneis artibus, ille suis.
Mille dolos exire cupis, laqueosq; Sophista,
Dædalus hunc librum, datq; Ariadna ducem.
Quo duce iam pueri sata canis tempora fallunt:
Turpe senem falli; turpius à puero.

Matthæus Raderus
è Societ. IESV.



AD LECTOREM.

LOGICÆ emolumentum, amice LECTOR, Ariadnæ filo à veteribus Poëtis videtur commodissimè expressum. Labyrinthus enim Dædali quondam ingenium, & Thesei labor, nunc vitæ huius imago, domus vtique meris erroribus nata, multiplici diuerticulo, fallaciosoque circuitu, & ambiguis viarum Mæandris, voluptatem quandam ingredienti pollicebatur, libertatem regressuro negabat, pandebatque in id solùm portas omnes, ne vlla pateret; vt, quà exire nemo non poterat, nemo posset. Neque tàm artifex, operis notas turbauerat, quàm hospitem ipsum inextricabili flexuum sibimet occurrentium, itineraque confundentium fraude irretitum. Et id adeò arte effectum dederat, vt tantis parietum ambagibus viâ ipsâ viator perplexior fieret, atque inter ludentem horti ambitum, seriò de salute suâ agi videret. Fabri hoc inuentum fuit: sed à Virgine delusum. Illius quippe consilio Atheniensis heros liberè viæque certus per incerta decurrit, insidiosasque cœci nemoris illecebras callidus fefellit, ac dolosa illa scenarum ludibria securus lusit, cum mendacissimi tecti vertigines flexu prouido fatiga-



ret. Nempe ſubſequam habebat tramam, huic tàm ſecura veſtigia imputabat. Illa ſub primos loci poſtes deligata, paſſuque tortuoſo deglomerata redeunti & viam præſtitit, & portam: quæ ſi erroni reperta non foret, vita ipſa amiſſa foret. Ita etiam, amiciſſime Lector, ita omninò cum vitâ noſtrâ agitur. Malus Dædalus eam infinitis erroribus implicauit: quando nimirum, inolitâ vaticinij ſui veritate, ſcientiam ſpopondit, ignorantiã inuexit, oculoſque quibus puriſſimum ſolem promiſit, miſerabili nocte & Cimmerijs tenebris inuoluit. Iamque paruo admodum numero erant, qui, non dicam, rectum vitæ, ſed ne ſcientiæ quidem iter tenerent. Tantùm aberat, vt rectè facerent, cum neque rectè facere ſcirent. Largitus eſt igitur Deus mortalibus Logicen; velut Ariadnam aliquam, cuius ductu, tanquam certiſſimo filo, per omnes ſcientias ſine errore circumuagari poſſent. Et vtinam, quibus diuiniora conſilia nimis ardua ſunt; vel hanc ſequerentur! toties profectò, ſe ſe decipi & à viâ virtutis abduci non ſinerent. Quiſquis ergo, ab erroribus te eximium eſſe cupis, & tot Labyrinthorũ flexus feliciter ſuperare, hoc lini glomere vti aſſueſce. Regulæ nullæ magis proſunt, quàm vſurpatæ. Vale.

FINIS ET ORDO.

PRæcipuus LOGICI *Scopus est*, SYLLOGISMVM BONVM *construere*, MALVM *destruere. Quemadmodum enim architectus operis sui longitudines, ad regulam & lineam; altitudines, ad perpendiculum; angulos, ad normam exigit; vt &, si quid prauum, emendet, & si quid bellè inchoatum, absoluat: ita* DIALECTICVS *omnes ferè leges suas idcircò tantùm sanctas habet, vt* SYLLOGISMVM *probum ædificare, atq; improbum demoliri possit. Id igitur quanam arte faciendum sit, hac* DISPVTATIONE *docere conamur. Cui vt, in re obscurâ, plus lucis affunderemus, argumentum omne in certa capita distinximus. Quippe cum* SYLLOGISMVS BONVS *duplicis generis* PRINCIPIA *habeat*; INTRINSE-

ea nempè, ad quæ pertinet materia & forma; atq; EXTRINSECA, *quò spectant tam ea, quæ* SYLLOGISMVM *dirigunt, quàm quæ perficiunt;* MALVS *autem hoc ipso* SYLLOGISMVS *esse deprehendatur, qui in aliquo horum peccati reus est: placuit nobis eum ordinem seruare; primò, vt statueremus, quid nomine* BONI *vel* MALI SYLLOGISMI *intelligendum; tum vt de ipsâ definitione, ac dein etiam de proximâ & remotâ eius materiâ; deniq; vt de formâ quoq; & vtrisq; principiis ageremus. Illud etiã præfari voluimus, hîc nobis, cum* SYLLOGISMO *categorico, absoluto, ex rectis, & qui medio constet communi, negotium ex instituto esse: ceteros vel minorũ, vel obscuriorum gentium* SYLLOGISMOS *illis euiscerandos relinquimus, quibus minus tædij, & plus otij est.*

Vt artes docent modum, ait Tolet. 1. Post q. 1. proleg. quo res operamur, ita Logica, quo intelligimus.

gimus. Perionius lib.2. de Dialect. in principio. Logicam cum architecturâ ita comparat, vt inuentionem argumentorum materiæ præparandæ, iudicium autem disponenda conferat.

CAPVT PRIMVM.

QVID NOMINE Boni aut Mali Syllogismi intelligamus?

§. I.

SYLLOGISMVM BONVM vocamus illam *ratiocinationem* seu *discursum*, qui ex duabus enunciationibus secundùm præcepta Logica verè copulatis, necessariam conclusionem parit: ac [a] ratione materiæ è qua extruitur, aliquando [b] *Epidicticus* seu *Demonstratiuus*, aliquando *Dialecticus* appellatur. Quorum *opinionem* iste, *scientiam* ille, in disputatoribus, relinquit.

a *1. Topic. 1.* b *Cic. in Oratore. Quintilian. lib. 7. cap. 10. Apodixin seu euidentem probationem vocat.*

§. II.

MALVM verò SYLLOGISMVM dicimus, in quo similitudo quidem est *syllogismi*, non tamen vera ratio, sed potiùs c *defectio definitionis*. Cuius vitium d vel in materiâ, vel in formâ, vel in vtrâque positum, id efficit, vt non verè quippiam ex alio colligatur. Atq; hic quidem *syllogismus* e *Contentiosus*, *Sophisticus*, *Sophisticus Elenchus*, *Paralogismus*, & f quòd falsis scientiarum descriptionibus vtatur, interdum etiã *Pseudographus* à Philosopho nominatur. Vterque autem, tàm *Sophisticus* quàm *Pseudographus* fallit: ille colore *probabilitatis*, iste fuco *necessitatis*.

c *de Elench. c. 6.* d *Elench. 8.* e *Ibid. c. 18. & passim alibi, ac Fonsec 8. Instit. c. 2. vbi triplex genus Sophismatum facit.* f *1. Top. 1.*

Sophi-

§. III.

Sophista tamen g non solùm ea quæ probabilia apparent, in subsidium fraudis vocat, sed ex illis quoque sæpè, quæ reipsâ probabilia, immò etiam necessaria sunt, aduersario insidias comparat; tum nempe quando in formâ solâ dolos collocat, vt aliquem è finibus sibi propositis consequi videatur. Ad quos fines illi, teste h Aristotele, tredecim loci seruiunt; è quibus contra antagonistam copias educit. De his tamen nos, in specie, non disputamus, *i quoniam in vnaquaq; arte est falsus syllogismus: ut in geometriâ geometricus, in medicinâ medicus, dico autem* esse *in arte, quod est secundùm illius principia.* At *sanè Elenchus qui in quaq; scientiâ cernitur, essène videatur; an* reuera *sit, & quamobrem, dispicere ad scientem pertinet, qui verò ex communibus* sumitur, *nec sub vllam artem* cadit, *ad Dialecticū* spectat.

g 1. *Topic. loc. cit.* & *Elench. cap.* 6. h *de Elench. c.* 3. & 4. & 5. & *Fonsec. lib.* 8. c 4. i *Eod. lib. singulari de Elench. c.* 9 *Nam Iulius Pacius, cuius nos versionem sequimur, tantùm vnum librum facit, quem Boetius & alij in duos distinguunt.*

§. IV.

Ergò igitur vt k *syllogismi bonitas* tam ex conformitate regularum, quàm ex aptitudine propositionum nascitur: ita *malitia* eiusdem vel ex materiæ peccato, vel ex formæ deformitate, vel ex vtraque censenda est. Neque enim simpliciter *bonum syllogismum* (vt neq; hominem) dixeris, in quo præter formam boni nihil reperitur. Ille autem qui formâ destituitur, adeò à *bonitate syllogismi* distat, vt, si rigidè loqui velimus, *syllogismus* omnino non sit dicendus, l *quia etsi videtur concludere*, reipsâ *tamē non concludit.* Et latè loquuntur, m qui docent, quidquid concluditur, aut esse neces-

necessariò verum, aut probabile, aut falsum, accipiunt enim *concludere* etiã pro eo, quod videtur tantùm *concludere*.

k *Tolet Introduct. lib. 5. c. 1 1. ait syllogismi perfectionem, in rectâ forma & rectâ materia consistere, rerumq; imperfectionem, ex eorum, quæ ad perfectionem necessaria sunt, defectu consurgere.* l *1. Top. 1. t. 8. Elench. c. 6.* m *Iul. Pac. Proœmio in Elench.*

§. V.

Immò si nomen ipsum *syllogismi* aspicere velimus, refragatur id his *Pseudosyllogismis*. Nam *syllogismi* nomen, vt n nonnullis placet, sumptum est ab Arithmeticis, & ab eâ parte artis, quæ *Logistica* dicitur, quæque rationẽ subducit & summam colligit, non quomodocunque, sed certâ quadam lege. Quare & *syllogismum* dicemus, qui *Conclusionem* suam certò colligit, non autẽ qui tantùm colligere videtur: vt neq;

sco

ſcoriam argenti, aut ſtannum, argentum dicimus, quamuis vtrumque argenti ſimilitudine oculis blandiatur. Atque hoc eſt, quod vult Philoſophorum princeps, cum ait: *Alios igitur eſſe ſyllogiſmos: alios cum non ſint, videri, perſpicuum eſt, quemadmodum enim & in alijs rebus hoc fit, ob quandam ſimilitudinem, ita etiam in argumentationibus accidit. Etenim habitum* corporis *alij benè* conſtitutum *habent, alij* habere *videntur.* Et mox. *Et pulchri alij* ſunt, *propter pulchritudinem, alij per fucum* (fuci nimirum ipſi) *videntur. In rebus etiam inanimis itidem ſe res habet: harum enim quædam argentum, quædam aurum ſunt reuera: alia cum non ſint, tamen, quod ad ſenſum, videntur* eſſe, *vt Lithargyrina & ſtannea* videntur eſſe *argentea: quæ verò felle tincta ſunt, aurea. Eodem modo & ſyllogiſmus & Elenchus*

ebus aliàs est reuera, *aliàs non est*, *sed* esse *videtur*, *propter imperitiam: nam imperiti, quasi procul distantes, contemplantur.*

n *Conimb. 1. Prior. 1.* o *Elench. 1. Idem docet Francisc. de Harlay part. 3. artificij. c. 32. Vbi etiam dicit, Vitia ex parte materia subtiliora esse.*

§. VI.

Ex quibus omnibus conficitur, cum *syllogismus* definitur, *p bonum* definiri: neque ab eâ definitione tantùm illum excludi, qui ex apertè falsis propositionibus est conflatus, quod plerique affirmant; sed illum quoq; qui vel *Sophisticâ* probabilitate in animos hominum irrepit, vel *Pseudographicis* sumtionibus fascinat, quod multi negare videntur. Ita tamen esse affirmandum etiam illa ratio suadet; quòd *Syllogismus* Aristotelicâ definitione comprehensus, sit vera argumentatio, argumentatio

tatio autem vera, constet argumento, q hoc est medio ad faciendam fidem simpliciter idoneo, quale quidem medium in palàm falsis nullo modo, in ijs autem propositionibus, quæ necessitatem aut probabilitatem mentiuntur, non nisi secundùm quid reperitur. Quamuis enim tale videatur, &, r *ad hominem*, vt loquuntur, subinde idoneum sit (quâ de caussâ etiam s Aristoteles *Sophisticum* & *Pseudographum* inter species analogicas syllogismi enumerauit) tamen simpliciter & secundùm rem ipsam tale medium non est. Vnde & Melissi rationes aitidem t alibi, *& falsa assumere, & non rectè concludere* : aperteque in alio loco : u *Sophisticus Elenchus non est simpliciter elenchus, sed aduersus aliquem : itidemq; Sophisticus Syllogismus*. Et iterum : x *Recta solutio est patefactio falsi syllogismi*. His

tamen

tamen omnibus ita constitutis, negare non volumus, in communi disputantium vsu, nomine *mali Syllogismi*, potissimùm illum solere intelligi, qui in formam delinquit.

p *Ioan. Magister in 1. Prior. dub. 2.* q *Ita non nemo apud Gell. lib. 17. c. 5. ait argumenta aut probabilia esse debere, aut perspicua.* r *1. Top. c. 14. Et libro de Elench. c. 8. ait, talem syllogismum ignorantes detegere: hoc proprium esse pirastica, qua est ea pars Dialectica, qua quidem potest falsum concludere propter ignorantiam eius, qui argumentationem concedit.* s *1 Top. 1. t 1. Phys. c. 2. & de Elench. c. 5.* u *Elench. c. 18.* x *ibid. c. 18.*

§. VII.

Sed hìc ipso penè in limine aliquot se se scrupuli offerunt. Nam I. Cur ipse *syllogismi* a magister, & post eum, alij non incelebres auctores *syllogismum* in quatuor species tribuunt, si non omnes sunt veræ propriæque species *syllogismi*? II. Si *syllogismus* ex manife-

nifestè falsis non est *syllogismus*, quamobrem *syllogismus* distinguitur in *probatiuum* & *illatiuum tantùm* (qui nempe sit *tantùm illatiuus*, & non etiam *probatiuus*) cum *syllogismus*, qui perspicuè falsa assumit, sit omnino *illatiuus*? Et III. Cur [b] Aristoteles ostendit in omnium figurarum *syllogismis* ex falso verum concludi, si *syllogismus non est*, qui talibus fundamentis nititur? IV. Nonne demonstrat [c] Fonseca, ad bonam consequentiam, neque antecedens, neque consequens verum requiri? igitur neque ad bonum *syllogismum* requiretur? V. Num credibile est, Aristotelem ipsum, cum in Logicâ suâ *bonum syllogismum* facere doceret, nullum *bonum syllogismum* fecisse? eâ enim vsus est materiâ cuius falsitas clarior est, quàm dies meridianus. Quis enim non videt, falsas esse istas, [d] *Omne B, est A, sed omne C, est B, ergò omne C, est A*? VI. denique, an *syllogismi* nomen nullo

nullo iure habere possunt, quos nos à consortio *bonorum syllogismorum* eiecimus? cum scholæ ipsæ, & quotidianus sermo contra nos clamare videatur? [e] *loquendum autem sit cum multis, sapiendum cum paucis?*

a 1.*Top.* 1.*t.*10. *Fonsec. Conim. Franc. de Harlay.* b 2.*Prior* 2.3 & 4. c 6.*Instit.c.*2. d 1.*Prior.c.*4. e 2.*Top.* 2.

VIII.

Verùm rectè hæc argumenta, scrupuli potiùs, quàm scopuli sunt appellata; ob ea enim sententiæ nostræ naufragium non est metuendum. Ad I. ergò respondetur, *syllogismum* non [f] vniuocè, sed analogicè acceptum in *Demonstratiuum*, *Dialecticum*, *Pseudographum*, & *Sophisticum* diuidi, cum [g] loco cit. Philosophus rudi duntaxat Mineruâ, species *syllogismi* enumeret: *propterea quòd de harum rerum nullâ*, vt ipsemet ingenuè fatetur, *exquisitam ratio-*

rationem afferendi consilium ceperit. Si alij autores amici nobis, contrarium docuerunt, magis est amica Veritas. Ad II. pari modo dicendum est, non *syllogismum* simpliciter dictum, sed itidem analogicum, prout nimirum complectitur tàm eum, qui simpliciter, quàm qui secundùm quid dicitur, in *Probatiuum* & *Illatiuum* distribui. Quocirca vt non rectè ratiocinatur, qui ita infert: *Est ens rationis, ergo est ens*, (cum *h* ens absolutè sumatur pro ente reali, sicut homo absolutè accipitur pro vero homine, adeò vt homo mortuus vel pictus non sit homo) ita friuolè colligit, qui ex eo quòd aliquis *syllogismus illatiuus* sit, ostendere nititur etiam esse *syllogismum*. Qua in re id genus Sophismatis committit, *i quod ex eo, quod solùm cum adiectione aliquà seu secundùm quid dicitur, id colligit, quod*

quod ſimpliciter, & ſine adiectione profertur.

f *Ita vir doctiſſimus Ioan. Magiſter in 1. Prior. dub. cit.* g *1. Top. 1.* h *Soar. Met. d. 47. ſect. 3. n. 3. & d. 54. ſect. 1. n 9.* i *Elench. c. 25. Fons. 8. Inſtit. c. 11.*

§. IX.

Argumentum III. & IV. vnâ reſponſione proſternitur. Id enim *ii* ſolùm tàm ab Ariſtotele, quàm à Fonſecâ probatur, formam aut ſyllogiſticam, aut alterius conſequentiæ, aptam eſſe ad vera ex falſis deducenda, non autem quòd forma cum tali materiâ faciat conſequentiam aut *ſyllogiſmum* ſimpliciter, propriè & vniuocè dictum. V. Bonos ſanè *ſyllogiſmos* inibi magiſter *ſyllogiſmorum* concinnauit: non quà litteræ illæ capiuntur materialiter; ſed quà ſignificatiuè, pro ſubiectis prædicatisq; quarumcunq; propoſitionum, ſiue Phyſicarum, ſiue Mathematicarũ, ſiue

siue alterius scienti e sumuntur. Voluit enim per litteras illas indicare, quo pacto extrema cum medio cohærentia, in *syllogismo* à quauis scientiâ essent coniuganda. Quâ ratione etiam Geometer procedit, cum præcipiens vt duæ lineę coniungantur, ait, *Iungatur A cum B*, &c: quod vtiq; non intelligendum est materialiter, k sic enim A, cum B, coniungere Grammatici est; sed significatiuè de lineis, quarum vnam A, alteram B, appellitat.

ii *Etsi contrarium sentiat Chrysost Iauel. tract. 6.* k *S. August. de Dialect. princip. cap. 5. De sono enim, ait, agitur, cum quæritur vel animaduertitur, quanta vocalium vel dispositione leniatur, vel concursione dehiscat. Item consonantium vel interpositione nodetur, vel congestione asperetur, & quot vel qualibus syllabis constet, vbi poëticus rhythmus accentusq; à Grammaticis solarum aurium tractatur negocio.*

§. X.

Ad VI. Aio, prædictos *syllogismos* dona-

donari quidem posse nomine *syllogismi*, sed laxiùs sumti, vel cum adiectione aliquâ, vt hoc velut stigmate inusti internoscantur. Dici itaque *syllogismi* possunt, sed vel *secundùm formam*, vel *illatiui*, item *mali, vitiosi, ex apertè falsis, Sophistici, Pseudographi* &c: nam etiam Aristoteles *syllogismum* nil concludentem non kk simpliciter *syllogismum*, sed *vitiosum* appellandum censet. Quo modo & nos hanc ipsam disputationẽ de *bono* & *malo syllogismo* inscripsimus; *malum* quoque *syllogismum* vocantes, non secus atq; Grammatici, qui aliam *bonam*, aliam *malum constructionem* vocant; licet hoc ipso constructio non sit, quia mala est. Quæ proinde appellatio illi parùm honesta est, quia non sine restrictione de perfectiore ei datur: quo modo etiam Lutherum v. g. parum laudaret, qui illum PRINCI-

PEM vocaret, ſed cum addito, NEBVLONVM, vel APOSTATARVM. Cæterùm & nos cum multis loquimur, dum *ſyllogiſmum bonum* vocamus, qui benè concludit: an autem qui proponitur ſit bonus, non cum multis ſentimus, ſed vt Logicus. nam ſic Ariſtoteles dictum ſuum explicat, dum ait, [l] *ſalubre vocandum* eſt, *quod valet ad ſanitatem efficiendam, vt multi vocant: an autem quod propoſitum eſt, ad ſanitatem efficiendam valeat nec ne: non eſt amplius dicendum, vt multi* dicunt, *ſed vt medicus.*

kk *Franc. Titelmannus lib. 4. Dialect. conſiderat. cap 2. ex eo, quòd ſyllogiſmus ſit oratio, in qua aliud ſequitur, infert: Alioqui hic poſſet videri ſyllogiſmus. Omne animal eſt ſubſtantia, & omnis homo eſt animal, igitur omne animal eſt ſubſtantia, vel, igitur omnis homo eſt, animal. Similiter neque iſte ſyllogiſmi meretur appellationem. Omnis homo eſt homo, & omnis homo eſt homo, ergo omnis homo eſt homo. Eſt*

enim

enim hæc conclusio eadem cum vtraq; præmissarum propter quod syllogismus planè fatuus & ridiculus solet nominari. Hæc ille. l 2. *Top.* 2.

CAPVT SECVNDVM.

DE SYLLOGISMI definitione.

§. XI.

EX disputatis perspicuum est, solum *bonum syllogismum* Aristotelica definitione comprehendi. Quæ talis: *l* *Syllogismus est oratio* (*m* alij vertunt Ratio) *in quâ quibusdam positis, aliud quiddam, ab ijs, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt.* Ad cuius intellectum obseruant *n* interpretes, tametsi propinquum *syllogismi* genus sit *argumentatio*, remotum verò *consequentia*, & adhuc remotius *e-*

nun-

nunciatio, ac denique *oratio* quoq; &c. Ab Aristotele tamen hoc remotum, & penè vltimum genus in definitione sine vitio esse collocatum: cum differentiæ intermediæ non sint præter missæ. o *Quanquam ne illud quidem semper pro vitio habendum est*; si quid in definitione desit: *quandoquidem graues auctores, ne minutissimè omnia persequantur, multas sæpè omittunt medias differentias, præsertim cum facilè intelligi possunt.*

ll *1. Prior. 1. t. 8. 1. Top. 1. Elench. c. 1. & alibi, ac ex eo Gell. lib. 15. c. 26.* m *Burana apud Conimb. q. 2. a 2. & Iul. Pacius in 1. Prior. c. 1. Eandem versionem allegat.* n *Conimb. loc. cit. alij passim.* o *Fonsec. 5. Instit. c. 11.*

§. XII.

Cum autem *syllogismus* dicitur esse *oratio*, falsa videri poterit ea pars parùm cogitantibus, vera multùm: Nec enim *oratio*, sed *orationes* vel duæ, vel


tres

tres *syllogismum* conficiunt. Ob hoc argumentum, aliqui, vt supra insinuatũ est, loco generis non *orationem* sed *rationem* ponunt. Quod si cum ratione aliquâ (verti enim λόγος tàm ratio quàm *oratio* potest) certè cum nulla faciunt necessitate. Dicitur quippe *syllogismus oratio*, non simplex sed coniuncta, constans scilicet duabus propositionibus & vna conclusione. Siquidem ex doctrina Philosophi præmissæ coniunguntur in vno medio, conclusio autem cum præmissis particula illatiua. Sicut ergo *oratio* vox (non vtique vna sed coniuncta) & discursus vna intellectus operatio, ita & syllogismus vna *oratio* appellatur.

XIII.

Adiungitur *quibusdam positis*, quod pluraliter ideo dictum est, quia ex vnâ acceptione seu propositione, non

 fit



sit collectio, licet Antipatro Stoico contra omnium sententiam videatur plena conclusio esse, Vides, viuis igitur; cum sit illo modo plena. *Qui videt viuit, tu vides, igitur viuis*. Adijcitur etiam, *aliud quiddam*, quia *concludere volumus, non quod concessum est nobis, sed quod negatum*: Et frustra colligeretur, quod sine controuersia concederetur.

p *Phil. Platon. in lib. de syllog. categ.*

§. XIV.

Argumentatio quoque dicta est genus *syllogismi*: nam quatuor argumentationum species ab q Aristotele enumerantur: *Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum*. E quibus tres posteriores, quo modo à definitione *syllogismi* eliminentur dubium est. Aiunt r nonnulli, ideò omnes excludi *quòd nihil ex necessitate accidat*, id est necessariò concludatur in his tribus specie-

bus.

bus. Quæ reſponſio in *Enthymemate* & *Exemplo* liquida eſt. [q] Quamuis in hoc etiam *ſyllogiſmus* à duabus *Exemplum* & *Enthymema* ab vnâ tantùm enunciatione procedat. Quin neque incommodè ſe habet prior illa reſponſio, in quibuſdam orationibus, quæ *imperfectæ inductiones* vocantur: nam etſi concedas iſtas, [t] *Homo inferiorem molam mouet, equus inferiorem mouet: item bos & canis*: ac deinceps inferatur, *Ergo & omne animal inferiorem molam mouet: quod cum ſit in crocodilo falſum, potes ſuperioribus conceſſis, illationem ipſam non recipere, quam tibi in concluſione non licuiſſet recuſare : quippe cuius illatio in ipſis acceptionibus continetur, & ideò additum eſt neceſſariò euenire.*

q *1. Top. 12.* r *Conimb 1. Prior c. 1. q. 2. a. 3.* ſ *Philipp. de Trien. tract. 3. p. 2. c. 3. a. 2.* t *Phil, Platon, in lib. de ſyll. categ.*

§. XV.

Cum tamen etiam multæ dentur *inductiones perfectæ*, quarum forma seruata nunquam de antecedente vero, consequens falsum gignitur, eorum magis sententiæ sim, qui eiusmodi *Inductiones* necessariam inferre consequentiam pronunciant. Alius igitur cuneus huic nodo quærendus est: qui antè quàm à nobis pellatur, pauca quædam de ipsa *Inductione* differenda sunt. Duplicis itaque generis est *Inductio*, vna ad primum, altera ad quartum genus consequentiarum pertinet. Illa, in qua antecedens & consequens eisdem præcisè terminis constat, vbi additur, *Et ita de reliquis*, non est *vera argumentatio*, cum collectio omnium particularium æquipolleat vniuersali: atque adeò aliud non colligatur, quod tamen ad *argumentationem* exigitur. Quod si igitur

igitur non eſt *argumentatio*, ergo neque in definitione *ſyllogiſmi* comprehenditur.

u *Auer. 1. Prior. c. 29. etiam alio ſenſu ſtatuit binam inductionem: demonſtratiuam ſcilicet, & Dialecticam, in hac ait eſſe omnia ſingularia percurrenda, vt rectè concludatur, non itē in illa.* x *Fonſec. lib. 6. Inſt. c. 34.* y *Idem lib. 3. cap. 7.* z *Vnde rectè Franc. Hotomanus Iurisconſult. lib. 4. Dialect. Inſtit. cap. 3. aſſerit non eſſe ſyllogiſmum, quando dicitur: Venti incubuēre mari: crebris micat ignibus æther, denſi funduntur ab æthere nimbi: ergo tempeſtas eſt: etſi enim hic veræ propoſitiones, & neceſſaria ſit conſecutio, non tamen ſyllogiſmus exiſtit, quia propoſitiones illæ Virgilianæ, non ita inter ſe cohæreſcunt, ſicut ſyllogiſmorum leges requirunt.*

§. XVI.

Alterum autem *Inductionis* genus, quod pro de vera ſpecie *argumentationis* habetur, vt ſi dicas, *Omne animal nutritur, omnis planta nutritur, ergò omne viuens nutritur*, item cum ex quocunq; genere partium totum concludimus,

 quo

quo modo è *syllogismorum* censu remoueatur, maiuscula difficultas est. Vt ergo taceam, in *syllogismo* ex vniuersalibus colligi particularia, in *Inductione* autem è contrario à particularibus procedi ad vniuersalia; dici etiam potest, *Inductionem* à definitione *syllogismi* remoueri illa particula, *Positis quibusdam*, scilicet paucissimis & secundùm leges Dialecticas; vel vt planiùs dicam, duabus enunciationibus. Nam in *Inductione* etsi aliquando duæ tantùm enunciationes in antecedente præmittantur, fortuitò tamen id accidit, non ex lege. Si enim plures partes in materia eius reperiantur, plures quoque sunt præmittendæ. Quanquam nonnemo etiam existimet, omnes in *Inductione* præmissas, pro vna solùm enunciatione coniuncta esse accipiendas: atque ita *Inductionem* non posse dici *Orationem*, in qua

qua *quibusdam positis*, sed *quodam posito* &c. Venusta hæc responsio esset si [a] Aristotelem & aliud quoddam argumentum propitium haberet. Rotundiùs ergo dicitur, licet *Inductio* è pluribus aliquid colligat, id tamen eam non facere ex enunciationibus dispositis in modo & figura, sicut *syllogismum* decet, sed solùm [b] exnumeratis.

a *1. Top. c. 12. Et S. Aug. in Dialect. princ. c. 9. ait coniunctas esse orationes, de quarum copulatione indicatur, quod in antecedente inductionis non fit.* b *Ant. Ruuio 1. Prior. c. 1. in textu.*

§. XVII.

Iam illud genus, in quo *continuâ serie multarum propositionum, de prædicato præcedentis propositionis semper dicitur nouum prædicatum, donec vltimum prædicatum dicatur de primo subiecto*, quod alij *gradationẽ*, alij *aceruale*, Græca Lingaa σωρείτην vocat, licet *expressè non habeat formam syllogisticam, quando*

constat pluribus enunciationibus, quàm tribus, continet tamen (vt rectè docet in sua Manuductione [c] noster P. Philippus Du Trieu) *implicitè plures syllogismos, primæ figuræ, in quibus posterior propositio, fit maior, prior verò minor*, vt *Omnis homo est animal, omne animal est viuens, omne viuens est corpus, omne corpus est substantia, ergo omnis homo est substantia.* Si enim dicas, *Omnis homo est animal, omne animal est viuens, ergo omnis homo est viuens.* Et rursus. *Omnis homo est viuens, omne viuens est corpus, ergo omnis homo est corpus, &c. Syllogismi* erunt in prima figura, transpositis solummodo præmissis. Alij in figura Galeni esse dicerent: [d] Fonseca etiam ad conditionales reduci posse ostendit, vt si dicas, *si Logica est, scientia est; si scientia est, habitus est, &c. ergo si Logica est, habitus est, &c.*

c Tra-

c *Tractat. 3. p. 2. c. 3. a. 4. & Franc. Hoteman. lib. 4. c. 3 affirmat Stoici syllogismi partes infinitas esse, tamdiu enim verborum series texitur, dum is, qui disserit, quod intendit, efficiat. at Aristoteles vidit, vim & necessitatem conclusionis in illis longis verborum continuationibus non ita esse perspicuam, vt in paucis. Quamuis aliud hoc syllogismo Stoici velle videantur. Et de sorite praedictus autor cap. 14. agens, ait duplex eius genus esse, vnum in ascensu affirmans, alterum in descensu negans, ob eamq; caussam à Cicerone tela Penelopes appellatur: quippe quæ & texatur & retexatur.* d *6. Instit. c. 5.*

§. XVII.

Carpitur à quodam Hæretici nominis auctore, e *vulgus*, vt ipse nominat, *Logicorum*, quòd putet conclusionem esse partem syllogismi; cum tamẽ Aristoteles in definitione *syllogismi* dixerit, conclusionem esse *aliud ab his, quæ in syllogismo posita sunt*, vt indicaret vtique conclusionem esse aliud à *syllogismo*. Verùm hic auctor cum se aliquid putet dicere, nihil dicit. Ac ne

tunc quidem ſcopum ferit, cum ſubiungit, affirmare ſ Ariſtotelem, *fieri poſſe, vt concluſio ſit vera, quamuis nihil eorum, quæ in ſyllogiſmo poſita ſunt, verum ſit.* Nam etſi concluſio *aliud ſit ab iis quæ poſita ſunt*, non tamen etiam aliud eſt, ab illa ratione, in quâ ipſa ex poſitis ſequitur. Enimverò, hoc ipſo quia *ſyllogiſmus* dicitur *oratio in quâ* (non ex quâ) *aliud quippiam ex his quæ poſita ſunt, ex neceſſitate accidit*, rectè intelligimus, concluſionem eſſe partem *ſyllogiſmi.* Quid enim illud *aliud in ſyllogiſmo* eſt, niſi ipſa concluſio? Et quamuis demus, Ariſtotelem dixiſſe, quod altero loco obtrudit Hæreticus, num tamen idem eſt enunciationem aliquam in *ſyllogiſmo poni* ſeu *proponi*, & *inferri?* certè ſi *ſyllogiſmus* plenus eſt, & *poni* ſeu *proponi* aliquid in eo, & *inferri* ſeu *concludi* oportet. Meritò igitur mirari

rari quis possit, tam hebes argumentum homini tam arguto in mentem incidere potuisse; cum priore argumento ipso, quo maximè triumphat, gangrænam, vt dicitur, addat, & caussæ suæ securim infligat.

e *Iulio Pacio notis in* 1. *Prior. c.* 1. f 2. *Prior. c.* 4.

§. XIX.

Circumspectiùs sententiam suam stabilire nituntur, g qui ex definitione demonstrationis, ab h Aristotele tradita colligunt, conclusionem tantùm esse effectum, aut finem *syllogismi*, dum aiunt, *syllogismum* esse *orationem probantem*, conclusionem autem *orationẽ probatam*. Verùm neque hi plus euincunt, quàm *syllogismum* aliquando accipi pro solis præmissis, quod volens lubens fateor. Sic enim ait i Philosophus, *syllogismum* constare duabus propositionibus, tribusque terminis: sic

 affir-

tunc quidem ſcopum ferit, cum ſubiungit, affirmare *f* Ariſtotelem, *fieri poſſe, vt concluſio ſit vera, quamuis nihil eorum, quæ in ſyllogiſmo poſita ſunt, verum ſit.* Nam etſi concluſio *aliud ſit ab ijs quæ poſita ſunt*, non tamen etiam aliud eſt, ab illa ratione, in quâ ipſa ex poſitis ſequitur. Enimverò, hoc ipſo quia *ſyllogiſmus* dicitur *oratio in quâ* (non ex quâ) *aliud quippiam ex his quæ poſita ſunt, ex neceſſitate accidit*, rectè intelligimus, concluſionem eſſe partem *ſyllogiſmi.* Quid enim illud *aliud* in *ſyllogiſmo* eſt, niſi ipſa concluſio? Et quamuis demus, Ariſtotelem dixiſſe, quod altero loco obtrudit Hæreticus, num tamen idem eſt enunciationem aliquam in *ſyllogiſmo poni* ſeu *proponi*, & *inferri?* certè ſi *ſyllogiſmus* plenus eſt, & *poni* ſeu *proponi* aliquid in eo, & *inferri* ſeu *concludi* oportet. Meritò igitur mirari

rari quis possit, tam hebes argumentum homini tam arguto in mentem incidere potuisse; cum priore argumento ipso, quo maximè triumphat, gangrænam, vt dicitur, addat, & caussæ suæ securim infligat.

e *Iulio Pacio notis in* 1. *Prior. c.* 1. f 2. *Prior. c.* 4.

§. XIX.

Circumspectiùs sententiam suam stabilire nituntur, g qui ex definitione demonstrationis, ab h Aristotele tradita colligunt, conclusionem tantùm esse effectum, aut finem *syllogismi*, dum aiunt, *syllogismum* esse *orationem probantem*, conclusionem autem *orationē probatam*. Verùm neque hi plus euincunt, quàm *syllogismum* aliquando accipi pro solis præmissis, quod volens lubens fateor. Sic enim ait i Philosophus, *syllogismum* constare duabus propositionibus, tribusque terminis: sic

affirmat, tres figuras esse, propter diuersam complicationem extremorum cum medio, quæ complicatio in solis spectatur præmissis, cum medium ingredi in conclusionem non possit: Sic denique k docet conclusionem esse effectum *syllogismi*. Atqui *syllogismus* hoc modo acceptus, essentialiter imperfectus est. Siquidem *syllogismus* perfectus, est oratio probans & probata simul, cum non solùm sit *oratio in quâ aliud* (non ex qua aliud) *accidit* &c. sed etiam consequentia: ergò conclusio quæ est consequens *syllogismi*, ad quidditatem eius pertinebit. Nam si essentia consequentiæ non consisteret etiam in ipso consequente, tum in 1. 2. & 3. consequentiarum genere tantùm vna propositio diceretur consequentia, idemque fieret in enthymemate & exemplo; adeoque hæc omnia tertia opera-

peratio intellectus, quæ illationem essentialiter includit, dici non possent; quod quàm absurdum, nemo non videt, nisi ipse absurdus. Sed quidquid huius sit, sanè pro nobis [i] plures grauioresque sentiunt auctores. Inter quos etiam D. Hieronymus, qui *syllogismum propositione, assumptione, & conclusione* determinat. Neque vero vt *syllogismus* dicatur caussare scientiam vel opinionem, necesse est, vt sit aliquid ab eis diuersum, caussat enim non efficienter, sed formaliter, quo pacto etiā definitio cognitionem definitiuam, quæ nihil est, nisi ipsa definitio, caussare dicitur. Vel si per modum efficientis moralis scientiam aut opinionem caussat, facit id secundùm vnam sui partem, cum solùm secundùm præmissas efficiat conclusionem.

g *Alb. Mag. tract. 1. in 1. Prior. c. 5. Niphus 2. Post. Com. 2.* h *1. Post. c 2.* i *1. Prior. passim.*

sim, *& Conimb.* 1. *Prior.* c. 7. q. 2. a. 1. k 1. *Post.* c. 2. l *Philopon. in* c. 1. *lib.* 1. *Prior. Burana* 2. *Prior. comment.* 2. *S. Tho.* 2. *Phys.* t. 2 1. *S. Hier. ep. ad Paulinum Conimb.* 1. *Prior.* c. 1, q 2. a. 2.

CAPVT TERTIVM.

DE SYLLOGISMI Materia.

§. XX.

GEmina est *syllogismi m* materia; *propinqua & remota*, hæc tribus terminis, illa aliquando duabus propositionibus, *n* aliquando tribus enunciationihus continetur. Tribus quidem enunciationibus, cum *syllogismus* capitur pro toto discursu, seu *o pro totâ ratiocinatione; quæ acceptionibus & illatione constat, & collectio vel conclusio à nonnullis nominatur*, quo pacto & ab Aristotele

ſtotele eſt definitus. Duabus verò propoſitionibus, quando *ſyllogiſmus* accipitur tantùm pro præmiſſis. Ita enim duæ propoſitiones, tresque termini, materia *ſyllogiſmi* dicuntur, cum analogiâ ad materiam Phyſicam. Vt enim forma è potentiâ materiæ Phyſicæ, ſic concluſio velut è potentiâ propoſitionum, quæ tanquam elementa ſunt *ſyllogiſmi*, educitur. Atque hac proportione concluſio forma *ſyllogiſmi* vocari poteſt, propria tamen eius forma non eſt: cum propria *ſyllogiſmi* forma, ſit *apta ſecundùm figuram & modum complicatio*.

m *1. Prior. 1. & Franc. Titelmannus lib. 4. cap. 1. Dialect. conſiderat.* n *Ioach. Perion. lib. 3. Dialect. ait ratiocinationem ſimplicem tribus ſimplicibus effatis conſtare.* o *Phil. Plat. de cat. ſyl.*

§. XXI.

Propoſitio autem cum ſit p *oratio affirmans*

firmans vel negans aliquid de aliquo, seu vt q alibi dicitur, *in quâ vnum de vno enunciatur*; at *Enunciatio*, r quam alij *orationem pronunciabilem*, Sergius *effatum*, Cicero, *enunciatum* nuncupat, sit ſ *oratio, cui verum vel falſum dicere conuenit*, facilè eſt conijcere, *Propoſitionem* atque *Enunciationem*, non niſi iuxta diuerſos reſpectus diſcriminari. Illa enim *Enunciatio* t *Propoſitio* vocatur, quæ ad aliquid concludendum proponitur: quæ verò abſtrahit ab hoc u *Enunciatio* appellatur. Quam diſtinctionem non obſcurè inſinuat ipſe Ariſtoteles, quando enim principia demonſtrationis per *Propoſitionem* definit, ſubijcit hæc x *Propoſitio autem eſt enunciationis*, id eſt quæſtionis, *altera pars vnum de vno* (enuncians intellige) *Dialectica quidem, quæ vtrumuis æque ſumit: Demonſtratiua verò, quæ definitè* (ſumit) *alte-*

alterum esse verum (Nihil enim ad syllogisticam formam refert materiæ z diuersitas: vnde tàm propositioni Dialecticæ, quàm demonstratiuæ competit definitio *propositionis*) *Enunciatio est contradictionis vtrauis pars*: Hæc ipse Aristoteles.

p *1. Prior. c 1.* q *1. Post. c. 2.* r *Phil. Plat. cit. loc.* s *1. Periher. c. 4.* t *Gerardus Matthisius in 1. Prior. c. 1. & Autor ad Herennium lib. 2.* u *Aliud discrimen assignant. Louaniens. 1. Prior. cap. 1.* x *1. Post c. 2.* z *Louaniens. loc. cit. docent, nec veritatem etiam aut falsitatem requiri.*

§. XXII.

Quin igitur, quod res est, discrimen hoc agnoscimus liberè? cur in re tàm clarà manus non damus? Etsi enim non subterfugiat, sæpe orationem vnam eandem esse, quæ nunc *Enunciatio*, nunc *Propositio* dicatur; quin familiariùs has inter se promiscuè, minusq; religiosè vsurpari: attamen, vt aliqua est

eſt *veritati aut falſitati obnoxia, non ordinata tanquam rogamentum ad concluſionem*, ſic ſtrictè *Enuntiatio* appellatur. Et ſunt [a] qui etiam enunciationes ex apertè falſis à definitione *propoſitionum* excludant; cum Aſtriſtoteles citato loco definiat *propoſitionē* in ordine ad *ſyllogiſmum* probatiuum, cui propoſitiones ex apertè falſis non deſeruiunt. Vnde & in eius definitione dixit, *quibuſdam poſitis*, hoc eſt, conceſſis; quales non ſunt apertam falſitatem profitentes. Imò [b] clarè propoſitionem à ſe definitam in *Demonſtratiuam* & *Dialecticam* diuidit, ac ſi *Sophiſticam* hoc ipſo excludere vellet.

a *Conimb. 1. Prior. c. 1.* b *q. 1. a. 1. Quamuis Iac. Ludouic. Strebæus 1. Prior. c. 1. etiam captioſam propoſitionem Dialectica annumeret, tamen nobiſcum ſentit Ant. Ruuio 1. Prior. c. 1. in expoſitione textus, & Ioan. Magiſter in 1. Prior. 1.*

§. 23. Talo

§. XXIII.

Tale ferè etiam discrimen est inter *Acceptionem* & *Propositionem: nam c Acceptio est propositio, quæ conceditur à respondente, vt si quis ita proponat. Estné omne honestum bonum? Propositio est: & si assentire se dicat: fit Acceptio, remotâ interrogatione: quæ & ipsa tamen communiter apellatur propositio: omne honestum bonum est.* Non tamen concludit Dialecticus ex interrogatione, dum interrogatio est, sed postquam ea concessa fuit à respondente, adeò vt consensu aduersarij per interrogationem priùs elicito ratiocinetur. Quin *Problema* etiam & *Propositio* discrepant, tàm apud Mathematicos quàm Dialecticos d. *Differunt autem Problema & Propositio modo: nam cum sic dicitur, putásne animal gressibile bipes definitio est hominis? & putásne animal genus est hominis? Propositi-*

positio fit: si autem vtrum animal gressibile bipes, definitio sit hominis an non? Problema fit. Similiter autem & in aliis. [e] Apud Mathematicos *Propositio* est genus ad *Problema* & *Theorema, propterea quòd vtrumque aliquid nobis proponat; Problema* quidem dum iubet ac docet aliquid constituere, cuius oppositum etiam potest fieri & demonstrari, cum tamen in *Problemate* Logico non possit vtrumqun demonstrari, immò aliquando neutrum. *Theorema* autem, dum non iubet aut docet aliquid construere, sed in contemplandâ proprietate quantitatis alicuius versatur.

c *Phil. Plat. de cat. Syllog. Ioach. Perion. lib. 3. Dialect. docet quidem verius dici partes syllogismi propositionem assumtionem & conclusionem, tamen aliquando vtramq; premissam propositionem aliquando assumptionem vocari. Dominic. Sot in 1. Post. c. 9. etiam idem docet de Instantiæ & propositionis differentia.* d *1 Top. c. 3. Iac. Zabar. l. de 4. fig o. 2. ait, quod Græci problema vocant,*

vocant, id vocat Auerroes quæsitum, quod mox facta ratiocinatione dicitur conclusio. c *Christoph. Clauius prolegomenis in Elem. Euclidis.*

§. XXIV.

Vt itaque ad *Propositionem* redeamus, num eam rectè definiuit Aristoteles, quando scripsit, esse *orationem affirmantem vel negantem aliquid de aliquo*? Obnunciare videntur regulæ Logicæ, quæ sanciunt, vt ne aliquid per differentias contrahentes definiatur; nec enim rectè definiret animal, qui diceret, animal est corpus rationale vel irrationale, poneretque disiunctum hoc, pro *sensitiuo*. At in prædictâ *Propositionis* definitione, non est essentialis generica enunciationis differentia, sed disiunctiuum quid ex differentijs specificis, enunciatio enim est genus ad enunciationem affirmatiuam & negatiuam. Huic argumento variè, sed omnium expeditissimè occurritur, si dicatur,

tur, non illicitè differentias contrahentes sub disiuncto (sumtas scilicet loco vnius differentiæ in communi) tunc in definitione essentiali alicuius rei poni, quando propria differentia, vel est obscura, vel omnino anonyma. Cum ergò videret Aristoteles, differentiam propositionis propriam vel carere nomine, vel certe obscuram esse, eo quòd propria differentia ferme identicum quid sit cum Propositione, disiunctum illud loco differentiæ collocauit. Quamuis alio in loco, vt supra perstrinximus, ipsam hanc differentiam indigitauerit. Videtur enim differentia illa nihil esse aliud, quàm Prædicatio, seu copula, quæ interdum significatur voce separatâ à prædicato, nempe verbo Est, vt homo est animal; interdum autem coniunctâ cum prædicato, vt homo currit: interdum coniuncta tàm

cum

cum subiecto, quàm prædicato, vt Curro.

f *Quidquid dicat Io. Arboreus in cap. 4. Periherm.* g *Ita manifestè S, Aug in lib. de princ. Dialect. c. 1. vbi ostendit primam & secundam (quin etiam interdum tertiam, vt cum dicimus, Pluit, Tonat) personam verbi obnoxiam esse veritati aut falsitati, nam & negari & affirmari posse.*

§. XXV.

Ad remotam *syllogismi* materiam venimus: Ex qua consurgit propinqua. Sunt autem remota hæc materia tres *termini*. & in *bono* quidem *syllogismo* neque a plures neque pauciores: in *malo* autem sæpe pauciores, sæpissime plures. Quamuis verò omnis propositio duos *terminos*, omnisq; *syllogismus* duas habeat propositiones, non tamen in vllo *bono syllogismo* sunt quatuor *termini*, quia vnus *terminus*, quem *Medium* vocant, & per quem extremorum *ter-*

mino-

minorum coniunctio vel disiunctio probatur, in propositionibus bis ponitur: Immò omnes *termini* in eodem *syllogismo* repetuntur, neq; tamen hæc repetitio facit, vt sex termini esse dicantur.

a *Aristot. 1. Post c. 9. & in eundem textum Sot. docent quatuor terminorum ex æquiuocatione natorum vitium apud Geometram fieri non posse, quia Geometra habet ante mentis oculos v. g. lineationem circuli, quæ æquiuoca esse non potest, sicut hæc vox Circulus, quæ æquiuocè significat & figuram & genus quoddam carminis apud Homerum, quod eodem pede incipit & desinit. Vnde ad Dialecticum pertinet iste syllogismus. Omnis Circulus est figura, carmen est circulus. ergo carmen est figura.*

§. XXVI.

Terminum autem appellat Aristoteles, gg *in quem dissoluitur propositio, attributum & id cui attribuitur*, id est prædicatum & subiectum. Syncategoremata proprie non possunt vocari *termini*

mini [h] *quia per se non possunt esse subiectum aut prædicatum alicuius propositionis, sed tantùm subiecto vel prædicato iunguntur, cum non sint significatiua, sed consignificatiua.* Vnde [i] *quidam rati sunt, has duas solas* (nomen & verbum) *orationis esse partes, quòd ex ijs solis fieri possit oratio perfecta, id est, quòd abundè sententiam comprehendant. Aduerbia autem & Pronomina, & Participia, & coniunctiones, & id genus cetera quæ Grammatici numerant, non magis partes orationis esse, quâm nauium aplustria, & hominum pilos, aut certè in vniuersâ compage orationis, vice clauorum & picis & glutinis deputanda.*

gg *1. Prior. cap. 1.* h *Philip. Du. Trieu in Manuductione tract. 1. part. 1. c. 1. a. 4.* i *Phil. Plut. de cat Syll. Conimb. 1. Prior. c. 1. q. 1. a. 3. aiunt Syncategoremata non terminare propositionem, sed cum principali subiecto aut prædicato conterminare.*

§. XXVII.

Multas *termini* inducunt lites. Inter quas etiam est, cur subiectum prædicatumque *termini* nomine afficiantur? k Quidam volunt, *terminum* dici ex eo, quòd in propositionis compositione sit extremum: extrema siquidem cuiusque rei vocari solent eius *termini*, quo pacto etiam l Mathematici *terminum* accipiunt, cum in lineâ primum & vltimum punctum, vocant *terminos* lineæ. Atque hinc etiam hauriunt isti fundamentum, quo nituntur, cum affirmant copulam Est non esse *terminum*: quia non est, inquiunt, extremum propositionis, sed inter extrema ponitur. Quin & Aristotelem videntur habere suæ opinionis socium, m qui *terminum* diuidit in subiectum & prædicatum, subiectum autem & prædicatum actu non sunt, nisi in propositione

tione non dum dissolutâ, eâ enim dissolutâ, etsi nomina maneant; attamen subiectum, & prædicatum amplius non sunt.

k *Albert. Mag. Louaniens. Tolet in Summul. l 1 c. 1 1. Philip. Du Trieu. loc. cit. a. 2. & alij.* l *Euclid. 1 Elem. definit 3. & in simili definit 6.* m *1. Prior. c. 1.*

§. XXVIII.

Verùm [n] magis ex mente Aristotelis existimo, dici *terminum*, quòd maneat dissoluta propositione, seu quòd resolutionem (non compositionem) propositionis terminet. Persuadet autem hoc potiùs dicere, tum Aristoteles qui distinctè clareque docet, *terminum esse in quem propositio resoluitur*, tùm etiam quia doctrina præsentis loci Analytica est, qua *syllogismum* ad suas partes & principia reuocare docemur, vt ostendamus eius bonitatem, propterea, quòd constet *terminis* & *propo-*

sitionibus ad concludendum ex artis regula secundùm modos & figuras accommodatè dispositis. Negare tamen mens non est, *terminum* quoque dici posse, prout aliquid est extremum in propositione: illud solùm dicimus, ab Philosopho eam ob causam nec ita dictum, nec definitum esse. Qui licet *terminum* in subiectum prædicatumq; distribuat, sumit tamen subiectum ac prædicatum tantùm materialiter. Vel certè si formaliter accipit, non euincitur inde, dici ab Aristotele *terminum* ratione compositionis; sed illud tantùm ostenditur, resolutionem non accipi pro vera & actuali dissolutione *propositionis*, sed pro ° cognitione principiorum, ex quibus *propositio*, eaque mediante *syllogismus* componitur, quæ ipsa cognitio, est quædam artificiosa resolutio, etsi integra maneat *propositio*.

n *Ita*

n *Ita Conimb. 1. Prior. c. 1. q. 3. a. 3. Franc. de Harlay artificij Logici parte. 3. cap. 3. & alij complures.* o *Vnde Boetius initio de Topic. differ. analyticaidem quod critica valere putat.*

§. XXIX.

Copula EST non idcirco terminus contra p Ægidium, esse negatur, quòd non sit extremum in propositione, sed quòd non sit pars materialis. Tametsi enim sit vera, immò essentialis & formalis ac præcipua pars propositionis, nempe ipsa connexio prædicati cum subiecto, non tamen est *terminus*, cum in eam non resoluatur *syllogismus*: quippe arte facta in ea tantùm resolui dicuntur, quæ post resolutionē manent, formam autem artefactorum, resolutione factâ, non manere, qui non sentiat, nihil sentiat. Vt ergo, deiectâ domo, lapides & ligna manent, figura interit; ita resoluto per cogitationem *syllogismo*, manent quidem sub-

iectum & prædicatum, propter rerum significationem, quam eandem conseruant, copula verò, aut verbum significationem copulæ, secundùm quam componit, non conseruat.

p *Apud Conimb. loc. cit.*

§. XXX.

Hæc est caussa, ob quam Aristoteles scriptum reliquit, q *verbum per se sumtum, etsi aliquid significet, tamen compositionem non significare*, vel vt alij aptiùs ad Græca verba, vertunt, *compositionem quandam adsignificat, quam sine compositis non licet intelligere*. Vt autem verbum significat cum tempore, & quâ res per illud significata prædicatur, sic est pars integrans & materialis adeoque etiam *terminus*. Cui corollarij loco illud adijcio, r quamuis prædicatum censeatur pars formalis ratione subiecti, non tamen censeri ratione

totius

totius propositionis, respectu cuius formalis pars copula EST habetur. Et vt corollario corollarium annectam, ex eodem fonte oritur, quòd copulæ EST non habeatur ratio neque in conuersionibus, neque in numerandis *syllogismi terminis*, quia nimirum non est pars materialis: fit enim conuersio tantùm secundùm extrema, hoc est secundùm subiectum atq; prædicatum; vt sunt materiales partes. *Plato disputat, ergo quidem disputans est Plato.* Vbi verbum *disputat*, idcirco in conuertente mutatur in participium, quia debet ex prædicato fieri subiectum, subiectum autem esse non potest, cum significatione copulæ. / Cumque in *syllogismo* sæpe aliquis *terminus* ex subiecto debeat fieri prædicatum, non habetur ratio copulæ in numerandis tribus *terminis* eadem de caussâ. Vnde in

hoc *syllogismo*, Omne currens est animal, Pegasus currit, ergo &c: medius terminus iudicatur inuariatus, licet in minore significet copulam & coniunctionem prædicati cum subiecto, quam tamen in maiore non significauerat.

q *1. de Interpret. cap. 3.* r *Franc. Tolet. Periherm. c. 3. q. Vnic. fundam. 1.* ſ *Tolet. ibid. fundam. 3.*

§. XXXI.

Ex tribus his *terminis* duo sunt *extremi*, vnus *medius*; *Extremi* dicuntur, qui in conclusione seu quæstione probandâ ponuntur, seu quorum vnus in vnâ, alter in alterâ propositione, & vterq; in conclusione collocatur. t *Medius* autem qui vtramque quidem propositionem ingreditur, à conclusione tamen abstinet; vocaturque *medius* quia est velut vinculum & nexus *extremorum*, sicut enim *extrema* se habent ad

ad illum, ita colliguntur se habere ad inuicem. Quamobrem [u] Aristoteles in primâ figurâ appellat *Medium, quod & ipsum est in alio cum aliud in ipso sit, & positione quoque sit medium. Extrema autem, & id quod est in alio, & id in quo est aliud,*

t *Franc. de Harlay p. 3. c. 3. ait Medium dici ab interpositione illius inter vtrumq; extremũ, quo conciliat, cum enim se ipsum nihil probare poßit opus est tertio quod tam subiectum id est rem de qua quaritur, quàm pradicatum, id est rem qua de subiecto quaritur, contineat & copulet. Et Franc. Hotoman. lib. 4. c. 1. Analyticen. docet nihil esse aliud quam artem qua medium ad vtrũmq; quastionis extremum adhibendi rationem commonstrat.* u *Aristot. 1. Prior. c. 4.*

§. XXXII.

In primâ figurâ *maius* extremum est, quod in antecedente *syllogismi* præstantiorem, id est, prædicati; *minus extremum*, quod minus præstantem, id est, subiecti locum obtinet. In secun-

da figurâ pro *maiore extremo* agnoſcendum eſt id, quod in concluſione prædicatur, *minus* quod in eadem ſubijcitur, *Medium* quod ambobus attribuitur. Hoc enim x dicitur *maius extremum* quod eſt ſitum propè *medium*, *minus extremum*, quòd longiùs abeſt à *medio*. In tertia quoque figura, in qua nimirum *Medium* ſubiectatur, ait enim z Philoſophus ſe in tertia figura vocare *Maius extremum quòd longiùs* abeſt *à medio, minus quod propiùs*. Atqui id quod in concluſione prædicatur in ſecunda figura propiùs, in tertia longiùs abeſt à medio, ergo &c. Porrò à *Maiore extremo* maior propoſitio, à minore minor denominatur, ſiue ordine antecedat ſiue poſt ponatur.

x *1. Prior. c. 5.* z *Ariſtot. ibid. c. 6. Fatetur quidem Phil. Du Trieu. hac Alexandri ſententiam, quam ipſe ſolidam vocat, eſſe conformiorem Ariſtoteli, ſed tamen vt minus tironum capiui*

ptui accommodatam respuit. Nos autem non tam quid facilè, quam quid, verè intelligatur, curandum existimamus.

CAPVT QVARTVM.
DE SYLLOGISMI *Forma.*

§. XXXIII.

TErmini igitur atque enunciationes, *materia*; illorùm autem dispositio *forma* est *syllogismi*. *a* Vt verò *materia in terminos & propositiones, ita forma in figuram & modum diuiditur*. Nam *terminorum*, hoc est, *medij* cum *extremis* dispositio, *figuram* efficit; propositionum autem ad vnam conclusionem secundùm qualitatem & quantitatem consentientium ordo, *modum*. Est ergo *forma syllogismi* aliud nihil, quam eius iuxta *figuram* & *mo-*

dum collocatio. Quoniam autem termi trifariam collocari possunt, ex triplici eorum dispositione, tres erumpunt *figuræ syllogismorum*. In quibus præcipuè spectatur locus *medij termini*, ex cuius aspectu facilè est iudicare, ad quam quisque *syllogismus figuram* pertineat. Si enim [b] *Medium maiori extremo subijcitur & de minori prædicatur, prima prima figura est: si* [c] *medium vtrobiq; prædicatur, secunda:* si denique *in vtraq; propositione subijcitur, tertia.*

a *Matthiſius in 1. Prior. c. 1. Conim. prænotatione in cap. 4. lib. 1. Prior.* b *1. Prior. c. 4. & c. 34.*

§. XXXIV.

Hinc si quis de numero *figurarum* scire volet, facilè condiscet, [d] tres tantùm esse *figuras*: cum enim tres sint *termini*, necesse est *medium terminum* poni aut medio, aut primo, aut postremo loco: sicuti ergo non datur quartus locus

ocus, ita nec *quarta figura*. Et sequimur hac in re e Aristotelem, cuius potissima apud Philosophos auctoritas est. f Galenus tamen & Medici nonnulli *quartam* faciunt *figuram* : cum medius terminus in minore subijcitur. Sed g hi nimirum meliùs distinguunt morbos, quàm *syllogismos*. Malè enim eam vocant Maiorem, in qua *medius terminus* prædicatur, cum è diuerso ea sit maior, in qua ille subijcitur, & adeò in qua maius extremum ponitur, siue illa ordine priorem siue posteriorem locum possideat.

d *Auer. in 1. Prior. c 4. Zabarell. proprio lib. de quarta figur. Conim. 1. Prior. c. 7. q. 1. a. 1. Vbi vocant hanc sententiam euidentem. Franc. Hotom. lib. 4 cap. 4. eisdem subscribit.* e *Arist. 1. Prior. c. 4. 5. & 6. Item 22. & 23.* f *Si Auer. in c 8. 1. Prior. non fallit.* g *Franc. de Harlay p. 3 c. 5. eam expressè commentitiam & explosam & contra Arist. mentem inuentam à Galeno ait.*

§. XXXV.

Nec temerè prima, ſecunda & tertia figura nomen ſortiuntur: nam ordo hic *h non tantùm enumeratione, ſed conclusionum dignitate contentus eſt. Quippe vltima eſt formula tertia, quia nihil in ea, i niſi particulare concluditur. Hac ſuperior eſt ſecunda, quæ habet concluſiones vniuerſales, ſed tamen abdicatiuas* (id eſt negatiuas) *tantùm, Et ideò ſic prima pollet, quia in omne genus illationum concluditur.* Nec ideò ſolùm, ſed multò maximè etiam inter formulas ſyllogiſticas excellit, k quia quatuor modos perfectos habet, qui ob illationis ſuæ claritatem indemonſtrabiles nominantur: non quòd demonſtrari nequeant, ſed quòd tam ſimplices tamque manifeſti ſint, vt demonſtratione non egeant. Quod inde accidit, quia primæ illæ radices *ſyllogiſmorum*, ſcilicet dictũ

De

DE OMNI & DE NVLLO, in hac *figura* euidenter & actu exercentur. Vnde omnes inclinantur naturaliter ad ratiocinandum in *prima figura*, si id materia patiatur. Reliqui omnes syllogismi ob quandam in colligendo caliginem, imperfecti appellantur. De expositorijs tamen secus est, qui clarissimè conclusionem suam colligunt etiam in tertia figura, & fortasse clariùs quàm in prima.

h *Phil. Plat. de Syll categ.* i *Arist. 1. Prior. cap. 6.* k *Francisc. de Harlay. part. 3. c. 5. & Arist. 1. Post. c. 11. vbi ait, hanc figuram maximè esse ad scientiam accommodatam. Nec tamen euidentia impedit quo minus demonstrari queat, cum euidentia suscipiat magis & minus, vt ostendit Franc. Albertinus 6. princ. Philosoph. dub. 2. punct. 2.*

§. XXXVI.

Tametsi autem omnis conclusio, vt supra tradidimus, per aliquem *primæ figuræ* modum longè clariorem possit

ſit inferri, [l] non tamen idcirco *ſecunda & tertia figura* dicis cauſſa aſſignantur. Nam ſi ſpectemus materiam ſeu propoſitiones ex quibus aliquid probare volumus, ſæpe etiam inclinamur ad concludendum in ſecunda aut tertia figura. quando videlicet propoſitio naturalis ſeu directa ad probandum aſſumta, non niſi in aliquâ tali figurâ adhiberi poteſt, eius autem conuertens indirecta eſſet adhibenda in prima figura. Vt, *Nullus coruus diſgregat viſum, omne album diſgregat viſum, ergo nullus coruus eſt albus.* Etſi enim etiam dicere poſſis, *Nullum quod diſgregat viſum, eſt coruus, omne album diſgregat viſum, ergo nullum album eſt coruus.* Et tandem. *Ergo nullus coruus eſt albus*, tamen in hoc ſecundo *ſyllogiſmo* maior propoſitio eſt indirecta.

l *Iacob. Zab. lib. 1. de 4. figura c. 10.*

37. Poſt

§. XXXVII.

Poſt *figuras* etiam de *modis ſyllogiſmorum* aliquid dicendum eſt. Quorũ numerum, diſtinctionem & nomina perſtringemus. Cum igitur *modus* ſit enunciationum ſecundùm quantitatem & qualitatem diſpoſitio, tot erunt in quauis *figurâ modi*, quot diſpoſitionet propoſitionum. Harum autem ſunt in qualibet figurâ m ſedecim. Nam à propoſitionum qualitate ſumitur diuiſio quadrimembris, & à quantitate itidem quadrimembris. Vnde ſi has diuiſiones coniungas, quatuor coniugationes quater acceptæ conſtituunt ſedecim modos.

m *Conimb. 1. Prior. prænotat. ad cap. 4. numerum hunc quo modo conficiatur oſtendunt.*

§. XXXVIII.

Hi modi, ratione qualitatis, in *affirmantes* ac *negantes*: ratione quantitatis,

tatis, in *vniuersaliter & particulariter concludentes* : ratione euidentiæ, in *perfectos* & *imperfectos*; ratione maioris extremi in conclusione subiecti vel prædicati locum obtinentis, in *directos* & *indirectos*: denique ratione præceptorũ in *vtiles* atque *n inutiles* distribuuntur. De *affirmantibus* atq; *negantibus* infra agetur, videntur enim sæpe aliqui *syllogismi* ex negantibus propositionibus consuti, cum tamen affirment. Ad *particulariter concludentes* reuoco etiã, quorum conclusio est vel indefinita vel singularis, quæ à particularibus, in *syllogismis* conficiendis, parùm differunt. *Imperfectos* (quales omnes sunt præter quatuor directos primæ figuræ) hîc non voco, quorum essentiæ (quo sensu *Euthymema imperfectus syllogismus* vocatur) sed quorum euidentiæ aliquid deest. Ob *o perfectorum* autem euidentiam, auctores neq; pauci neq; obscu-

obſcuri rectè affirmant, Logicen ad multas ſcientificas concluſiones ne moraliter quidem eſſe neceſſariam.

n *de inutilibus modis in quauis figura vide Conimb 1. Prior. in cap. 4. 6 & 6.* o *Ipſe Ariſt. 1. Prior. cap. 1. ait, Perfectum ſyllogiſmum eſſe qui nullius indiget præter ea quæ ſumta ſunt, vt neceſſariò concludere videatur.*

XXXIX.

Directus modus eſt, in quo *maius extremum* de *minore* concluditur; *indirectus*, in quo contrarium euenit. Quare in *p* ſolâ primâ figurâ indirecti dantur, cum in ſecundâ & tertiâ maius extremum in concluſione nunquam ſubijci poſſit. Cum autem ſint quinque modi in prima figura in directè colligentes, ſeu, vt *q* Boëtius loquitur, *per refractionem & propoſitionis conuerſionem nati*, cur *r* Ariſtoteles tantùm duos vltimos recenſuit? Reſpondet *ſ* Ioan. Eckius, Ariſtoteli placuiſſe tantùm e-

os enumerare, qui ſecundùm præmiſſas à directis diſtinguuntur. Tres autem etiam priores ab eo agnitos eſſe, clarum fit ex alio [r] loco, vbi inter poteſtates *ſyllogiſmi* eam quoque laudat, quôd poſſit conuertentem concluſionis inferre. Ex quo etiam loco, vt Boëtius exiſtimat, Theophraſtus & Eudemus occaſionem accepêre, hos modos ſuperaddendi: & nos didicimus, cur *Ferio* non habeat ſibi reſpondentem modum indirectum, ſicut tres priores, quia nimirum particularis negatiua neque ſimpliciter, neque per accidens conuertitur.

p *Eſt contra Scot. 1. Prior. q. 24. Sot. lib. 5. Sum. c. 7. & 8. at Conimb. 1. Prior. in c. 7. q. 2. a. 1. fatentur noſtram ſententiam pluribus placere.* q *Boët. lib. 2. de ſyll. categ.* r. *1. Prior c. 7.* ſ *Io. Eckius 1. Prior. q. 4. a. 1. & Conimb. c. 7. q. 2. a. 1.* t *2. Prior. c. 1.*

§. 40. Omnium

§. XL.

Omnium *modorum vtilium* nomina ſcitiſſima ſunt, quæ vulgatis illis verſiculis *Barbara*, *Celarent* &c. includuntur, vt proinde alia commodiora velle quærere, ſit nodum in ſcirpo quærere. Qualia etiam ſunt illa, * quæ ſub littera in principio dictionis poſita, ſignificant, cuius quiſque *ſyllogiſmus* ſit figuræ, quæque in hos carminum carceres ſunt coniecta, Primæ figuræ,

Pabana, *Peſcaes*, *Padiſi*, *Pesſiſo*: (ſecundæ autem) *Seſaſe*,
Satmeſes, *Seſico*, *Sabono*, (& tertiæ) *Tacari*, *Teabro*,
Tismacis, *Taſiſi*, *Tobano*, *Tediſo*, *Modiq;*
Obſcuri quartæ *quos dicunt eſſe figuræ*,
Amedes, *Amacir*, *Eſarcot*, *Imacis*; *Eſiſcod*,

Nam præterquam quòd quarta figura, deficit etiam prima littera index figuræ in eiuſdem nominibus: quæ, ſicut

&

& modi ipsi, & omnia prædicta nomina, præter nouitatem, & multa incommoda, tantam obscuritatem habent, vt superstitiosis aniculis ad euocandos è sepulchris manes magis esse idonea, quàm Logicis ad agnoscendas *syllogismorum* formulas, videantur.

u *Anton. Perseus Lyncæus lib. 13. de recta ratione Philosophandi c. 1.*

CAPVT QVINTVM.

DE SYLLOGISMI Principijs externis.

§. XLI.

E*Xterna principia* dicuntur, a quæ non sunt in ipso *syllogismo*, sicut materia & forma, quæ dicuntur *interna* eius *principia*. Duplicis autem generis sunt hæc externa principia, alia *syllogismum*

gismum tam perfectum quàm imperfectum dirigunt: alia solùm imperfectũ perficiunt. Quæ *dirigunt* sunt [b] axiomata seu propositiones per se notæ, quibus consequentia syllogistica nititur. quæ breuitatis caussa vocari solent *Dictum de omni*, & *Dictum de nullo*: de his Aristoteles, *In toto autem*, ait, *altero alterum esse, & alterum alteri omni attribui, idem est, dicimus autem omni attribui, quando nihil subiecti accipere licet, de quo alterum non dicatur: ac nulli* attribui, *accipitur eodem modo.* Ad hæc duo principia negatiuum alterum, alterum affirmatiuum, tanquam ad Lydium lapidem omnes *syllogismi* explorantur, nothiné sint, an genuini [c] Sensus autem horum principiorum est. *Quidquid dicitur de subiecto vniuerse sumto, dici & de quouis quod subsumitur sub illo*: vt si dicitur de omni scientia

quòd

quòd ſit qualitas, dicitur etiam de Logica, & fortè Mathematica, atque alijs ſub ſcientia contentis. Hoc principio omnes *ſyllogiſmi* affirmatiui diriguntur: ſicut negatiui illo. *Quidquid negatur de ſubiecto vniuersè ſumto, negatur & de quouis, quod ſubſumitur ſub illo*, vt ſi negatur de omni peccatore, quòd ſit amicus Dei, negatur etiam de homine impuro & alijs, qui ſub peccatore continentur.

a *Philip Du Trien. tract. 3. part. 2. c. 1. post. Aug Hunæum lib. 4. Prodidag. parte 1.* b *Axiomata ſeu dignitates appellantur, quia tanta eſt earum perſpicuitas vt per ſe ipſa digniſſima ſint, quibus fides ab omnib. adhibeatur Vide Ariſt. 1. Poſt. c. 8. & Franc. Harlay. part. 3. c. 10. licet. F. Franc Maronius in terminorum Theologalium aureis explanationib c 5 in diuinis dicat ſyllogiſmos non regulari per hæc duo principia: vbi etiam addit, neq; ſyllogiſmos expoſitorios valere in diuinis, quod tamen non eſt ita.* c *Franc. Hotoman lib. 4. c. 2 Quod de omni dicitur, inquit, de ſingulis ei ſubiectis dicitur. Vnde illud*

Cico-

Ciceronis lib. de nat. deor. 3 si omne animal mortale est, nullum est animal immortale. Et aduertit Anton Scaynus paraphrasi in 1' Prior. sect. 1. ex Io. Gram. differre hæc duo Esse in toto; & Dici de omni, quoniam quod est in toto in minus se habet quàm totum in quo est: siquidem totum vt vniuersale, in plus se habet. Qui tamen sensus non videtur esse ad mentem Arist. qui docet idem esse, Aliquid dici de omni & esse in toto altero.

§. XLII.

His duobus principiis *dirigentibus* annectuntur etiam canones seu regulæ tam generales quàm speciales *syllogismorum* Generalis *I. Si plures pauciorésue sunt termini quàm* [d] *tres, monstrosa nascitur conclusio.* Vnde mala fide ambulat hic *syllogismus. Omnis pes est ima pars animalis, sed iābus est pes, ergo iambus est ima pars animalis.* Cū enim ambifaria sit acceptio medij termini, in maiorenimirū propositione propria, impropria in minore, fit, vt iste terminus significatione sit duplex, adeóque *syllogismus* hic qua-

tuor terminorum infamiâ notetur. II. *Si medius terminus vel ponatur in conclusione, vel non in* [dd] *vtraque propositione, peccat syllogismus.* Quando enim *medius terminus* in conclusione ponitur, tunc idem per idem probatur. Vt si dicas, *Omnis rugosus est tristis, omnis senex est rugosus, ergo omnis rugosus est tristis.* Quando autem non ponitur in vtraque propositione, tum quatuor sese termini ingerunt. Veluti si dicas, *Omnis qui habet* [e] *oculorum valuas intemperanter apertas est inuerecundus, sed omnis* [f] *ingeniosus habet cutim ac pilos tenues, &c.*

d *Arist. 1. Post. c. 15. & 1. Prior. c. 25. manifestum est, inquit, quod omnis demonstratio per tres terminos solos erit &c.* dd *Arist. 1. Prior. c. 34. medium ait vtrisque in propositionibus esse in figuris necesse est.* e *Arist. cap. 6. Physiog.* f *Ibid.*

§. XLIII.

III. *Si in neutra præmissarum medium* [g] *distribuatur, morbum habet syllogis-*

logiſmus. Quam ob rem à ſanorum cenſu excluditur iſte, *Quidam homo eſt Antichriſtus. omnis Pontifex eſt homo, ergo omnis Pontifex eſt Antichriſtus* Nec enim *Homo* in maiore, nec in minore cōpletè diſtribuitur, cū neutribi accipiatur pro omnibus, pro quib. accipi poteſt. IV. *Si aliquis terminus diſtribuatur, id eſt, communiùs ſumatur in conſequente, qui non fuerit diſtributus in antecedente, etſi* aliquando *rectum ſit conſequens, non recta tamen vnquam eſt conſequentia*, vt *Quoddam animal habet cornua, quædam capra eſt animal, ergo omnis capra habet cornua.* gg Huius & præcedentis regulæ (ex quibus duabus pleræque ceteræ oriuntur) cauſſa eſt, quòd, ſi in eas committatur, non ſeruetur dictum DE OMNI aut NULLO. V. *Si à h duabus negantibus ducat ſyllogiſmus, non in conſequentiam, ſed in foueam ducit.* quia in dictis DE OMNI & DE NULLO præcipi-

tur, vt medium cum altero saltem extremorum conueniat. Quare in Arcadiam suam ablegandus est hic *syllogismus. Nullus asinus debet seruare consilia euangelica, Nullus homo est asinus, ergo nullus homo debet seruare consilia euangelica.* VI. *Si ex duabus particularibus concludatur, non concluditur,* quia hac ratione in neutra præmissarum medium distribuitur. *Quidam habens crispos capillos est Aethiops, Iacobus habet crispos capillos,* ergo &c.

g *1. Prior. cap. 24.* gg *Franc. Piccolomineus de rer. definitionib. Instrum. Logico ait syllogismum ex toto ducere ad partem.* h *1. Prior. c 11. ambæ propositiones si fuerint negatiuæ ratiocinatio non constabit. Et eod lib. c. 25. in omnibus, ait, syllogismis oportet esse aliquem terminum attributiuum, id est, affirmatiuum & aliquem vniuersalem &c.*

§. XLIII.

VII. *i Si altera præmissarum sit particularis, aut negatiua, & conclusio non sit*

ſit itidem talis, videri poterit ſyllogiſmus, eſſe non poterit. Exempla accipe. *Omnis fur eſt auarus, aliquis diues eſt fur, ergo omnis diues eſt auarus.* Item *Nullus homo eſt truncus, omnis citharœdus eſt homo, ergo omnis citharædus eſt truncus.* Atque hæc præcepta ſunt omnibus figuris ita communia, vt tamen etiam in quædam peculiaria delinquat, qui in illa delinquit.

i *1: Prior cap. 24. dicitur. Si concluſio ſit vniuerſalis, neceſſe eſt etiam terminos eſſe vniuerſales, Si verò termini ſint vniuerſales, fieri poteſt, vt concluſio non ſit vniuerſalis, Has duas regulas pulchrè demonſtrat auctor Logicæ, quam alij S. Th. alij Herueo, alij Thomæ Anglico aſcribunt, in tract. de ſyllog. cap. 5. Atque cum tot ſint regulæ generales ſyllogiſmorum, apparet quàm ſibi ſimilem, id eſt, mancam, earum tractationem inſtituerit. Io. Sturmius, Partitio, Dialect. lib. 2. cap. 19. &c.*

§. XLV.

Regulæ ſpeciales traduntur iſtæ.

Si in primâ figurâ vel ex Maiore particulari, vel ex minore negatiuâ in ſyllogiſmo directo procedatur, deceptioni via ſternitur, non veritati. Quia vtroque modo à termino non diſtributo proceditur. Et quidem ſi maior particularis ſit, medium non diſtribuitur. ſi autem minor negatiua, tùm maius extremum in maiore affirmatiuâ prædicati locum tenens non diſtributum, in concluſione autem negatiuâ diſtributum eſt. Pro huius regulæ cautelâ rectè monet [k] Franciſcus de Harlay, in primâ figurâ *minorem aliquando voce tenus eſſe negantem, ſed habere vim affirmantis:* vt, *Quidquid non eſt corruptibile eſt immortale, anima rationalis non eſt corruptibilis, igitur* &c: Qua de cauſſa etiam Fonſeca [l] affirmat, ſolius materiæ ratione peccare hunc ſyllogiſmum, *Quidquid non amiſiſti habes, theſaurum non amiſiſti, theſaurum igitur habes.* Sed infra animum in

peni-

penitiorem huius responsionis partem trahemus. Nunc ad secundæ figuræ peculiaria præcepta celerandum est.

k *part. 3 artificij logici c. 5.* l *Fonsec. 8. Instit. c. 2.*

§. XLVI.

Si itaq; in m secundâ figurâ ex maiore particulari, aut vtraq; sumtione affirmatiuâ sese inferat conclusio, personata erit, nec ob necessitatem formæ, sed materiæ aliquando accidet. cum nimirum maior conuertibilis erit, vt *omne risibile est rationale, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis*, Atque tales quotidie disputātibus *syllogismi* excidunt, qui tamen sæpe si spectētur secundùm formalem non situalem verborum positionem, in primâ non in secundâ figura esse reperiuntur. Quod non vidit olim * Hunnius Ratisbonæ, sed quid mirum si non fuit *bonus* o *Logicus*, qui neque fuit *bonus Christianus*? Cur autem

in secundâ figurâ ex maiore particulari nihil sequatur, ratio est, quia in tali *syllogismo* proceditur à maiori extremo (quod est subiectum maioris particularis, & prædicatum conclusionis negantis) non distributo ad idem in conclusione distributum. Ex puris verò affirmatiuis in eadem nihil effici, caussa est, quòd in secundâ figura, si *syllogismus* constet ex puris affirmatiuis, medium non distribuatur, cum sit prædicatum vtriusque præmissæ affirmatiuæ.

m *Conimb. 1 Prior. c. 7.* n *Sessiou. 1 a colloquij Ratisbon. in fine.* o *Patet ex eodem colloquio Ratisbon. quantus Logicus fuerit AEgid. Hunnius, qui etiam formam Logicam dixit Christo Apostolis & Patribus non fuisse visitatam &c.*

§. XLVII.

In tertiâ denique figurâ. ***Si aut minor non sit affirmatiua, aut conclusio non sit particularis, sine neruo erit syllogismus.*** Si enim minor sit negatiua, tùm à

maiore

maiore extremo (quod in maiore propoſitione affirmatiua, & in concluſione negatiua eſt prædicatum) non diſtributo, ad idem diſtributum ibitur. Si verò concluſio in hac figura non ſit particularis, tùm à minore extremo (quod in minore affirmatiua eſt prædicatum, adeóque non diſtributum & in concluſione vniuerſali ſubiectum adeóq; diſtributum) non diſtributo ad idem diſtributum ibitur.

§. XLVIII.

Principia quæ *ſyllogiſmum* perficiunt, ſunt ea, quibus *ſyllogiſmi* imperfecti (nam perfecti his principiis non indigent) ſeu, quòd in iis principia dirigentia ſeruentur obſcuriùs, conſequentiam minùs claram habentes, *p* adiuuantur, dum eorum conſequentia probatur clariùs, vt l. *q* *Conuerſio*, qua oſtenſiuè omnes *ſyllogiſmi* imperfecti rediguntur ad quatuor perfectos

primæ figuræ, exceptis *Baroco* & *Bocardo*, quorum particularis negatiua non poteſt conuerti, vniuerſalis autem affirmatiua conuertitur ex lege tantùm in particularem, atque ita ſi mutata vice ſubiectum fiat, quod fuit prædicatum, ambæ propoſitiones ſunt particulares, ex quibus nihil ſequitur, II. modi imperfecti per impoſſibile approbantur, cum ſcilicet contradictio concluſionis ſumitur &c. III. per *ſyllogiſmum* expoſitorium, qui & ipſe inter perfectos eſſe cenſetur. IIII. Inductione exemplorum, & definitione formalis conſequentiæ.

p *1 Prior 1. dicitur perfectus ſyllogiſmus, qui nullius alius indiget &c.* q *1. Prior. c. 2.*

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

DE MALIS SYLLOGISMIS, QVI CONTRA FIGVRAS, MODOS ET REgulas supradictas afferuntur.

§. XLIX.

MALOS SYLLOGISMOS, tanquam calones & lixas, huc in finem reiecimus. Habent enim aliqui plus cauillationis quàm difficultatis. Non tamen omnino omittendi fuêre, tùm quia nec a Aristoteles ipse ita contemsit, vt non ad trutinam vocaret; tùm quia exploratis eorum tenebris, lux ipsa *verorum syllogismorum* magis exsplendescit. Vt igitur digitum ad deceptionis fontes intendamus eo ordine, quo supra ad veritatis normam direximus, à primâ figura incipiemus; ac

deinde ad præcepta communia progrediemur, ex quibus, ea quæ contra peculiaria cuiusque figuræ præcepta afferri possent, facilè diluentur.

a Tum alibi, tum ex professo in lib de Sophisticis Elench. Et Cic. lib. 2 Academ. Multi, ait, fallacibus & captiosis interrogationibus circumscripti atque decepti desciscunt à veritate.

§. L.

Figuras igitur modósque ita esse, vti docuimus, plerorumque grauissimorum Philosophorum consensus habet. Fuliginem tamen partim Sophistæ, partim recentiores aliqui Philosophi offundere nonnullis conantur. Ac primum b primæ figuræ modum qui Barbara appellatur, ita quatere solent. I. *Omne secundum immediatè sequitur primum, sed omne tertium immediatè sequitur secundum, ergo omne tertium immediatè sequitur primum.* II. *Omnes Germani sunt tota natio, omnes Dilinga-*

lingani sunt, tota natio. Cui haud absimilis est iste, *Omnes homines habent omnem scientiam, sed omnes Logici sunt homines, ergo omnes Logici habent omnem scientiam.* III. *Omnis qui dicit te esse hominem, verum dicit; omnis qui dicit te esse furem, dicit te esse hominem, ergo omnis qui dicit te esse furem, verum dicit.* IV. *Omne volans est coruus, omnis cygnus est volans, ergo omnis cygnus est coruus.* V. *Vtrumque animal est lepus, vterque homo* (scilicet Socrates & Plato) *est animal, ergo vterque homo est lepus.* VI. *Omnis planta vel canis latrat, omnis rosa est planta vel canis, ergo omnis rosa latrat.* VII. *Omnis homo directè ponitur in prædicamento, omne rationale est homo, ergo omne rationale directè ponitur in prædicamento.* VIII. *Omne id, est viuens, quod est sentiens, omnis planta est viuens, ergo omnis planta est sentiens.* Nec abludit ille. *Omne id est durum, quod est lapis, omne*

ne ferrum est durum, ergo omne ferrum est lapis. IX. *Omnis contradictionis altera pars est vera,* sed *omne falsum est altera pars contradictionis, ergo omne falsum est verum,*

b *Omittimus enim hic* ψευδόμενον. *seu mentientem: de quo Cic. in Lucullo Hotoman lib. 4. cap. 16. vbi exemplum iuridicum affert, item Lactant lib. 3, vbi aliquot exempla Instabilis refert, vt somniauit quidam ne somniis crederet, Et, Epimenides dixit Cretenses esse mendaces, at ipse Cretensis &c.*

§. LI.

Videntur prædicti *syllogismi* falsum ex vero inferre, non inferunt; nam si eos ad Logicæ tribunal vocemus, simulachra potiùs aut cadauera quædam *syllogismorum* esse deprehendemus, quàm veros *syllogismos* I. enim, si exenteretur, quatuor habere terminos, conuincitur. Primus terminus est subiectum maioris, nimirum *secundum*. Secundus, prædicatum eiusdem maioris, scili-

ſcilicet totum hoc, *immediatè ſequitur primum*, tertius, eſt ſubiectum minoris, nempe *Tertium*, quartus denique prædicatum eiuſdem, *immediatè ſequitur ſecundum*. Neque enim medius terminus eſt illud, *ſecundum*, cum hoc in maiore ſit rectus & terminus totalis; in minore autem obliquus; & terminus partialis. II. Etiam hos duos *ſyllogiſmos* in vitio eſſe, manifeſta res eſt, ex quatuor terminis: medium enim variatur, cum in maiore ſignificet *omnes Germanos vel homines* ſimul & collectiuè ſumtos, ſitque vnum extremum coniunctum vnius tantùm propoſitionis, in minore autem ſignificet tantùm quoſdam *Germanos* vel *homines* & ſit non vnum, ſed multa extrema multarum propoſitionum, nimirum harum, *hic Dilinganus eſt Germanus, iſte Dilinganus eſt Germanus* &c. *Hic logicus eſt homo, ille Logicus eſt homo*, III, Hoc inſidio-

diosum Sophisma distinctione trucidandum est. d nam vaferrima captione accidentis contaminatum est. Nec enim quidquid in maiore affirmatur de medio termino adeóque etiam de prædicato posito in minore, verè etiam semper affirmatur de subiecto eiusdem prædicati. Hac ergo distinctione respondendum. *Omnis qui dicit te esse hominem* in vniuersali, vel certè hunc numero, *is verum dicit*, concedo: *qui dicit te esse hominem* quemcunque aut qualemcunque *is verum dicit*, nego. Deinde in diuerso sensu concedenda minor: atque ita ostendendi quatuor termini, quo facto meritò negatur consequentia. Et fallacia consequentis erit si ita vertas, *Qui dicit te esse furem, falsum dicit, sed qui dicit te esse furem dicit te esse hominem, ergo qui dicit te esse hominem falsum dicit.*

c *Quia, vt Phil. Du Trieu tract. 4. p. 2. cap.*

cap. 1. a 2. docet, ad omnem fallaciam concurrit & I. caussa apparentiæ, quæ est id, ratione cuius valida videtur argumentatio, vt in æquiuocatione v. g. identitas vocis æquiuocæ: & II. caussa defectus, quæ est id, ratione cuius inualida est argumentatio vt v. g. in æquiuocatione, diuersa significatio vocis æquiuocæ. d *Fons. 8. Instit. cap. 10. & 14. vbi docet omne Sophisma consequentis esse etiam Sophisma accidentis, quamuis non mutatâ vice. Tolet l 5. Introduct. c. 15. notat hoc vitium etiam accidere quoties à superiore ad inferius absque vniuersalitate, vel ab insuperiori ad superius vniuersalitate procedimus, vt homo est fur, ergo Coriscus est fur &c.*

§. LII.

IV. Reijcitur ex hoc *syllogismo* vel maior vel minor, qua negata seu reiecta, tanquam pede subtracto, claudicat consequentia. Quod autem vel maior vel minor negetur, caussa est, quia simul positę incompossibiles sunt; posito enim quod vna sit vera, necesse est alteram esse falsam: licet enim singulæ enunciationes separatim sumtæ possi-

possibiles sint, & possint esse veræ, ex hypothesi tamen vnius destruitur altera. V. Hic *syllogismus* quasi de industria errat, ita [e] palàm medium variat, quod in maiore accipitur pro duobus certis & designatis animalibus, in minore verò, non pro iisdem duobus, sed pro aliis. Taceo maiorem & minorem non esse vniuersales simpliciter, quales hîc requiruntur, sed tantùm in certo genere, videlicet duorum: in forma autem ita respondebis, *Vtrumque animal est lepus*: hoc scilicet vtrumque, concedo. Atque ita detectis per distinctionem quatuor terminis, neganda est consecutio prædicto vitio fœdata.

e *Sic. ob medium variè vsurpatum, non concluderet, qui ad Cantorem diceret: Omnis canis latrat, tu Canis, ergo latras. Non tamen item malè concluderet, qui ita inferret, omnis homo est sensituus, omnis mulier est homo, ergo omnis mulier est sensitiua: quia sensitiua & sensitiuus terminum tantùm mutat grammaticè, non Logicè.*

Huius

§. LIII.

Huius paralogiſmi vitium ſatis tenebroſa ambiguitate veſtitur; ſed videtur hac diſtinctione in lucem protrahendum: *Omnis planta vel canis* diſiunctim hæc ſumendo, vt ſenſus ſit, omne id de quo verè dicitur hoc diſiunctum *planta vel canis*, id latrat, ſic neganda eſt maior: diſiunctiuè autem ſumendo hoc ſubiectum, concedi quidem debet, ſed ita maior eſt coniuncta propoſitio *ſyllogiſmi hypothetici*, de quo hic non agimus. Vt tamen vel deſultorio more, etiam hoc vitium hypothetici iugulemus: dicendum exiſtimamus illum *ſyllogiſmum* ideò non concludere, quia in diſiunctiuis affirmatiuis, tantùm *duplex eſt figura*, quarum *prior ponit alteram partem, vt alteram tollat: poſterior tollit alteram, vt alteram ponat*. In neutrâ ergo harum figurarum prædi-

ctus

ctus est *syllogismus*, & hinc malus: fieret autem g bonus, si quis ita diceret. *Aut planta latrat, aut canis latrat: latrat autem canis, ergo non latrat planta*; qui *syllogismus* in primâ figurâ hypotheticâ est. In secunda autem si concluderet: *Aut planta latrat, aut canis latrat, non latrat autem planta, ergo canis latrat*.

f *Fonsec lib. 6. Instit cap. 32.* g *Franc. Hotoman. lib. 4. Instit. Dial c. 9. in syllogismo, ait, disiunctiuo necesse est alterum ex duobus, quæ disiunguntur verum, alterum falsum esse. Nam ea demum disiunctiones ad has conclusiones valent, quæ neque medium habent, & quorum alterutrum esse necesse est: itaque si inter diem & noctem est diluculum vulgata conclusio non valet: Aut dies est, aut nox est. Aut stat, aut sedet. Potest enim cubare, quod neutrum est, &c.*

§. LIV.

VII. Etiam iste *syllogismus*, per fallaciam h accidentis, in laqueum ducit. Non enim quidquid accidit *homini* (vt v. g. *directè in prædicamento poni*) id

etiam

etiam accidere rationali credẽdum est. Itaque satis est velum illi demere, & ostendere quòd hoc vitio accidentis laboret. Nam hoc ipso patefit, eum principio illo destitui, quod vocatur DICI DE OMNI, non enim quidquid dicitur de subiecto quomodocunque, dicitur etiam de quouis contento sub illo. In formâ tamen etiam responderi posset, concessâ maiore, & distinctâ minore hoc modo. *Omne rationale* materialiter *est homo*, concedo, formaliter nego: ergo *omne rationale* materialiter *directè ponitur in prædicamento*, concedo, formaliter nego, sic enim à latere collocatur, tanquam differentia hominis. VIII. Duo illi *syllogismi* octauo loco positi, sub alieno primæ figuræ pallio, fumum vendunt. Nam reuera sunt in secunda figura, in qua cum ex meris affirmatiuis nihil conficiatur, quid mirum, si tanquam illegitimi proscriban-

tur? Esse autem in secunda potiùs, quàm in prima figura ex eo est intelligere, quòd in primo *syllogismo*, de *sentiente viuens*, in secundo de *lapide durum* affirmetur, adeóque prædicetur, quod rursus in minore etiam prædicati locum inuolat.

h *Accidens hic dicitur quidquid aliquo modo distinguitur ab altero, de eo tamen prædicari potest, siue essentialiter siue accidentaliter, quo sensu etiam animal & risibile respectu hominis accidentia sunt: Cum autem omne prædicatum etiam debeat aliquo modo identificari cum subiecto, oritur fallacia accidentis ex hac identificatione & diuersitate cum subiecto, qua malè infertur aliquid conuenire rei ex eo quod conueniat eius accidenti, quia (vt clarè ostendit Phil. Du Trieu. tract. 4. §. 2. c. 2. a. 1.) accidens non sumitur quatenus est idem cum re cuius est accidens, sed quatenus diuersum. Vnde Tolet. lib. 5. Introduct. c. 15. hanc regulam tradit, omnia ea quæ vni conueniunt secundùm id in quo ab altero differt, remouenda sunt ab altero &c.*

§. LV.

Ille

IX. Ille *syllogismus* nequaquam est in *Barbarâ*, nam sophistico tectorio cohonestatus in *Barbara* esse videtur, cum non sit. Nec enim maior est vniuersalis, sed particularis ob signum *Altera*, quod est particulare in certo genere, nempe duorum. At verò signum *Omnis*, quod est semen deceptionis, est tantùm syncategorema & genitiuus cohærens cum alio syncategoremate, quod est genitiuus *contradictionis*. Par ratio foret, si maior esset hæc particularis, *omnis contradictionis aliqua pars est vera*, quæ quidem propositio sensum habet disiunctum non disiunctiuum, quia non est sensus, *quòd omnis contradictionis affirmatio sit vera*, vel *quòd omnis contradictionis negatio sit vera*, sed quòd affirmatio vel negatio confusè & indeterminatè sit vera. Rectéque ait Fonseca, sub subiecto particulariter & indeterminatè sumto non licere sumere

re

re determinatum singulare, ratione cuius particularis sit vera, quod tamen fit in obiecto *syllogismo*. Dices. Mutemus maiorem hoc modo, *Omnis contradictio habet alteram partem veram, sed omne falsum est altera pars contradictionis, ergo omne falsum est verum?* Iam fatendum est quidem, maiorem esse vniuersalem, sed conclusio tamen nondum est sanata, quamuis nunc alia de caussa ægrotet. Est enim *syllogismus ex obliquis & affirmatiuè concludens*, qui duo præcepta violat: oportet enim in huiusmodi *syllogismis*, *ut extremum obliquum in antecedente, sit obliquum in consequente*: item *vt cum medium fuerit obliquum in vnâ sumtione, extremum alterius sumtionis sit obliquum in conclusione.* Quod hîc non fit. Et quamuis fieret, aliud tamen malum superesset, nimirum mutatio medij termini: in maiore enim dicitur; *omnis contradictio*, in minore

re autem, *altera pars contradictionis.*

i *Fonsec. 6. Instit. c. 28.* k *Fonsec. ibid. c. 30. Vbi tamen tutius esse monet, ad rectos eiusmodi syllogismos reuocaare: quàm recentiorum praeceptis non omnino exploratissimis inniti.*

§. LVI.

Secundus primæ figuræ modus CELARENT appellatur: cui oppugnando etiam aliquot arietes admouentur. I. *Nulla aqua bibit vinum, omnis homo bibit aquam, ergo nullus homo bibit vinum.* II. *Nullum animal dum dormit vigilat, omnis homo est animal dum dormit, ergo nullus homo vigilat.* III. *Nullum animal per se est rationale, omnis homo per se est animal, ergo nullus homo per se est rationalis.* Oppugnant hi arietes, non expugnant hunc modum. I. enim si ad amussim applicetur, l quatuor habere terminos deprehenditur: quia medium in maiore est *aqua* in recto & sine addito: in minore autem *aqua* in obliquo &

cum addito *Bibit*, quod est pars, & quidem præcipua, adeóque medium Prothei instar variatum, quartum terminum efficit. II. pari modo terminorum abundantiâ errat. Sensus enim maioris est, *nullum animal dormiens vigilat*, & minoris, *omnis homo dormiens est animal:* quippe si illud, *dum dormit*, ad prædicatum minoris pertineret, hoc sensu, *omnis homo est animal dormiens.* tum minor falsa redderetur. Variatur itaque in hoc *syllogismo* & medium in antecedente, & subiectum minoris in consequente. III. *syllogismus* tum non omnino est absolutus, sed vel modalis, vel quasi modalis, quia propositiones non tantùm dicunt, quòd prædicatum insit vel non insit subiecto, sed etiam quo modo insit vel non insit, scilicet per se: tum etiam maiorem falsam habet animal enim sumitur personaliter pro speciebus suis, inter quas ali-

quod

quod animal, ſcilicet homo, eſt per ſe rationale.

1 *Hoc Vitio quatuor terminorum nutant etiam omnes ſyllogiſmi homonymia ſeu æquiuocatione infecti, de quibus Ariſt. lib. de Elench. cap. 4. Vt, qui odit animam ſuam, dignus eſt fieri Chriſti diſcipulus, qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam Pſal. 10. ergo qui diligit iniquitatem dignus eſt fieri Chriſti diſcipulus. Item omnes ſyllogiſmi ſenſu compoſito aut diuiſo excedentes, vt, duo & tria, ſunt par & impar, quinque ſunt duo & tria, ergo quinque ſunt par & impar. Cuius Vitij anatomiam exhibet Franc. de Harlay p. 3. artific. logici cap. 33. Item Franc. Hotoman. lib. 4. cap. 28 Vbi & homonymiam, & ſenſum compoſitum ſeu Syntheſin, & diuiſum ſeu diæreſin curioſis exemplis explicat.*

§. LVII.

DARII. hos inſultus patitur. I. *Omne nomen eſt vox, Socrates eſt nomen, ergo Socrates eſt vox.* II. *Omne animal ſubtracto cibo moritur, Titus eſt animal, ergo ſi Tito ſubtrahas cibum, omne animal moritur.* Verùm his non magno

Hercule opus est. I. quia ambiformiter accipit vocem *Socrates*, ita [m] dissoluitur, vt concessa maiore, minor distinctione explicetur, hoc pacto: *Socrates* in suppositione materiali *est nomen*, concedo; in suppositione formali *est nomen*, nego; pari dein distinctione conclusio est explicanda: Ergo *Socrates est vox*, *Socrates* materialiter concedo, formaliter nego. Sic mille aliæ quotidie occurrentes disrumpuntur captiunculæ, vt *Alicubi est aduerbium, Sempronius autem est alicubi, ergo Sempronius est aduerbium.* Item, *Qui benè valet, valet aduerbium: tu benè vales, ergo vales aduerbium.* Et illud apud [n] Senecam. *Mus rodit caseum, Mus est syllaba, ergo syllaba rodit caseum.* Et apud [o] D. Augustinum, *Ex cuius ore prodit leo, prodit immanis bestia; sed qui nominat leonem, ex eius ore prodit leo, ergo & immanis bestia.* Et apud [p] Tolet. *gladius est secundæ declinatio-*

nationis, sed ensis est gladius: ergo ensis est secundæ declinationis, q Quamuis hic syllogismus etiam decipiat colore ex accidente quæsito. Apud r Hotomanum quoque, *Homo est duarum syllabarum, Constantinopolitanus est homo, ergo Constantinopolitanus est duarum syllabarum.* II. etiam *syllogismi* error non imperspicuus est, quartum enim terminum in conclusionis prædicato obtrudit, *animal* enim in antecedente subiectum fuerat, non pars maiori extremi, sicut est in conclusione. Contra modum cui nomen FERIO, ficulneum quoddam argumentum afferri solet, *Nullum animal est species, homo est animal, ergo homo non est species:* nam negatur maior, cum quoddam animal, scilicet homo sit species: habet enim nomen *animal* suppositionem distributiuam pro generibus singulorum. *f quæ explicatur descensu copulatiuo, enumerante*

rante omnes species, pro quibus nomen accipitur.

m *Franc. de Harlay in Appendice artificij sui obseruat hanc per distinctionem respondendi rationem benignitatis esse, nam si legum Logicæ, ait, seueritas ad amussim obseruetur, ea negari nihil vetat, quæ distinguere vel ingenij subtilitas, vel humanitas inuitat.* n *Seneca ep. 48. quem vide etiam ep. 45.* o *S. Aug in l. de Magistro.* p *Tolet. Introduct lib. 5. cap. 15.* q *S. Th. de syll. Sophist. c 17. docet plures fallacias esse sæpe in vno syllogismo.* r *Hotoman. l. 4. cap. 28.* s *Fonseca 8. Instit. cap 34.*

§. LVIII.

Aduersus secundæ figuræ primum modum ita velitantur nonnulli. I. *Nulla propositio est vera, quando est falsa, omnis enunciatio impossibilis est falsa, ergo nulla enuntiatio impossibilis est propositio.* II. *Nulla rubedo est albedo, omnis rosa est apta suscipere albedinem, ergo nulla rosa est apta suscipere rubedinem.* Vtrobique cauilli & scirpi. nam I, sub quatuor termino-

rum

rum ſtibio mendacium aſtringit, quia medium variat, ſi in maiore ſit hoc totum *vera quando eſt falſa*, pro medio; & in minore hoc tantùm, *falſa*; ſin vltima illa pars maioris, ſcilicet, *quando eſt falſa*, ſit pars ſubiecti, tunc *ſyllogiſmus* quidem erit in prima figura, ſed quatuor terminos non excutiet: immo geminus iſtum *ſyllogiſmum* inſidebit error, quia pro maiore extremo etiam medium vel pars medij concluſionem ingredietur. II. Tum ex ᵃ obliquis, tum etiam quatuor terminorum luem patitur. Alius enim terminus eſt in maiore *albedo*, alius in minore, *apta ſuſcipere albedinem*. CAMESTRES. Non ideò eſt malus modus, quòd à medio maioris non diſtributo, ad idem in minore, adeóque antecedente, diſtributum procedat. Sufficit enim vt medium in vnâ parte antecedentis diſtribuatur. Vt tamen etiam hic modus fiat exploratior,

 ecce

esce opponitur. I. *Omne corpus differt à Spiritu, nullus Angelus differt à corpore.* II. *Omne mortuum est non ens, nullus homo est non ens, ergo nullus homo est mortuus.* Sed vterque syllogismus manifesto errore colligit. I. quatuor terminis inquinatus est; 1. est, corpus; 2. differt à Spiritu; 3. Angelus; 4. differt à corpore. II. distinctione, quasi pollinctore opus habet. u *Omne mortuum est non ens* secundum existentiam, concedo; secundùm essentiam nego, *nullus homo est non ens* secundùm essentiam concedo, secundum existenstentiam, nego. Festino & Baroco, cum virtute in Cesare & Camestres includantur, nullo ferè peculiari examine opus habent.

r *In negatiuè concludentibus, si affirmatiua tantùm fuerit ex obliquo nulla conclusio efficietur, Fons. 6. instit. c. 3 0. quamuis aliqui illum locum lubricum esse iudicent.* u *Phil. Du Trieu, tract. 4. p. 2. a. cap. 2. a. 2. obseruat vocem,*

mor-

mortuus, respectu vocis, homo, esse determinationem alienantem, quæ planè tollit significationem vocis cui coniungitur.

§. LIX.

Tertiæ denique figuræ modus primus DARAPTI, etsi legitimus, obiectionem tamen habet, quauis charybdi periculosiorem, & est hæc. *Omnis homo Physicus est sciens, omnis homo Physicus est animal, ergo quoddam animal est sciens.* Vbi consequens contingens, ex antecedente necessario sequi videtur. Respondent aliqui, maiorem ac minorem in eiusmodi syllogismis contingentes esse, sed hi funem cum Ocno torquent. Cum enim, saltem vt à nobis positæ sunt, ita veræ sint, vt falsæ esse non possint, inexpeditissima est responsio, dicere, contingentes esse. Alij aiunt, ex ambabus necessariis sequi conclusionem necessariam, si sint necessariæ tam quoad connexionem subiecti cum præ-

dicato, quàm prædicati cum ſubiecto, adeóque ſi poſſint conuerti ſimpliciter ratione materiæ, nam ſi tantùm prædicatum ſit neceſſariò connexum cum ſubiecto, & non etiam ſubiectum cum prædicato in præmiſſis, quid mirum ſi nec prædicatum concluſionis ſit neceſſariò connexum cum ſubiecto? præſertim cum in propoſito *ſyllogiſmo* medium non neceſſariò inſit ſubiecto concluſionis, adeóque nec maius minori inſit neceſſariò, quandoquidem non niſi ratione medij, ſeu mediante medio in exiſtente ineſſe concluditur? **Verùm nec iſta reſponſio omnino extinguit difficultatem, quia non oſtendit, quo modo nihilominus ex vero non ſequatur falſum in eiuſmodi *ſyllogiſmo*. Altiores ergo vitij radices inquirendæ. Nonnulli itaque dicunt, concluſionem prædicti *ſyllogiſmi* ex ſuppoſitione eſſe neceſſariam, & idem valere**

ac si dicas, *Omnis homo Physicus si existat, est sciens, omnis homo Physicus si existat, est animal, ergo quoddam animal (videlicet si homo* Physicus existat*) est sciens.* At neque ista subtilitas placet: tum quia sicut Physica potest abstrahi ab existentiâ, vt dicamus, Physica est scientia, ita etiam videtur abstrahi posse *Physicus*, vt dicamus Physicus est sciens, tum quia in antecedente suprapositi *syllogismi*, existentia x non ponitur (hypothesis enim absolutè nihil ponit) quæ tamen in conclusione ponitur: nec etiam vt quoddam animal sit sciens, necesse est, vt quidam homo Physicus existat; potest enim esse sciẽs, si solùm etiam Logicus existat. Vltimum igitur asylum restat, dicere, *syllogismum* hunc quatuor terminis laborare, cum vocula EST, ob contingentem materiam, in consequente existentiam significet, quam non significauerat in antecedente.

 Scio

x *Itaque ponitur consequens, scilicet animal existere sciens, cum tamen non fuerit positum antecedens, scilicet animal existere Physicum; de quo vitio Fonsec. 8. Instit. c. 13 Tolet. Introduct. 1. lib. 5. cap. 15.*

§. LX.

Scio ex hac quoque responsione, tanquam amputato hydræ capite, aliquot pullulare difficultates. Sed non est putandum semper vitium contingere à copula *EST*, si nunc existentiam in *syllogismo* significet: nunc non significet: sed tunc solùm, quando in consequente infertur existentia, quæ non erat posita aut concessa in antecedente. Nec par est ratio, si ex copula Est, existentiam significante inferatur necessaria propositio adeóque Est existentiam non significans, quia existentia in huiusmodi *syllogismi* antecedente concessâ, supponit essentiam, non tamen essentia in antecedente solùm concessa,

etiam

etiam ſupponit exiſtentiam, Quæ cauſſa eſt cur ex contingente ſequatur neceſſarium, non autem ex neceſſario contingens. Ac ne eludere potiùs, quàm elidere argumentum videar, totum hunc nodum euoluam. Quærere enim quis poteſt, cur non etiam quatuor termini eſſe cenſeantur in hoc, & ſimilibus *ſyllogiſmis? Omnis Phyſicus eſt ſciens, quidam homo eſt Phyſicus, ergo quidam homo eſt ſciens?* cum tamen medius terminus in minore adiunctam habeat ſignificationem exiſtentiæ, quam non habuerat in maiore? Verùm hic ipſe *ſyllogiſmus* reſponſioni noſtræ ſupra datæ ſubſcribit, quem quidem omnes defendere coguntur. Dico ergo idcirco in prædicto *ſyllogiſmo* non cenſeri quatuor terminos, quia licet in minore abſolutè ponere exiſtentiam, quæ hypotheticè poſita fuerat in maiore, cum poſita illa adhuc vel concedi

vel negari possit, pro arbitrio respondentis. Qui autem in consequente existentiam ponit, quam non posuerat in antecedente, manifestè plus infert, quàm concessum fuerat. Dici etiam potest, quod optimus quidam Logicus, qui se Thaletem nominat, dixit, in huiusmodi *syllogismis* à suppositione medij termini in minore positi, determinari suppositionem eiusdem in maiore collocati. Nec enim id sine fundamento dixit, cum & subiecti acceptio à prædicato determinetur & alioqui talis *syllogismus* dicto DE OMNI non mensuretur.

§. LXII.

Expediuimus *syllogismum*, intricatum quidem, sed qui gratis comparabatur cum curru Midæ, inexplicabilibus nodis implicato. Duæ adhuc nebulæ supersunt dissipandæ. Nam contra FELAPTON obijcitur, *Nullus cornus* est

est Aethiops, omnis coruus est niger, ergo quidam Aethiops non est niger. Contrà BOCARDO autem. z *Quidam homo non est vir, omnis homo est animal, ergo quidam vir non est animal.* Vterque hic *syllogismus* claudicat, quia talum inuertit, dum in tertia figura contra leges minorem negatiuam posuit. Miraberis hanc responsionem? an non enim vtriúsque minor expressè affirmat? Nequaquam quia minor non est illa, quæ posteriore loco ponitur, sed in quâ minus extremum, minus autem extremum in tertia figura est, vt supra docuimus; non quod in antecedente præponitur, sed quod in conclusione subijcitur. Atque his ipsis *syllogismis* ostenditur non perinde esse in tertia figura vtram quis propositionem maiorem facere velit, si enim in conclusione subijciat quod in maiore erat prædicatum, manifestè ex vero aliquid

cum

cum diminutione veritatis colligetur. Ceteri tertiæ figuræ modi, si quid argutiarum sustinent, facilè erit ex dictis scaturiginem erroris inuestigare.

z *Alia captio est, si est vir homo est, sed vir non est, ergo homo non est. Vel si vir est homo est, sed homo est, ergo vir est. Est enim captio consequentis, ac prior quidem quia ex opposito antecedentis oppositum consequentis colligit, posterior autem quia ex consequente infert antecedens.*

§. LXII.

Præcepta quod attinet communia; diximus primò *non posse esse plures tribus terminos*, contra quam regulam obijci potest hic *syllogismus*, *omnis caseus est substantia, quidam vermis nidulatur in caseo, ergo quidam vermis nidulatur in substantia.* At dicendum est, hunc *syllogismum* non esse omnino simplicem, sed compositum è partibus horum *syllogismorum*, *Quidquid nidulatur in caseo, nidulatur in substantia, quidam vermis nidulatur in caseo*, ergo &c. Maior proba-

batur, *si caseus est substantia*, *nidulans in caseo, nidulatur in substantia, sed caseus est substantia*, ergo &c. Diximus secundò *medium terminum in conclusione, saluis legibus, non poni.* contra quod dictum opponitur iste *syllogismus, Omnis peccator confiteri debet peccata à quibus dicitur peccator, sed omnis nepos est peccator, ergo omnis nepos confiteri debet peccata à quibus dicitur peccator.* Vbi *peccator* est medius terminus, & tamen ingreditur necessariò conclusionem. Respondendum est tamen, vocabulum, *peccator*, bis poni in maiore, adeóque habere duplex munus: primò enim est medius terminus, dein est pars maioris extremi. Conclusionem itaque ingreditur non vt medius terminus, sed vt pars maioris extremi.

§. LXIII.

Quinta regula diximus *ex duabus negatiuis nunquam concludi.* Contra quam

quam regulam docet *a* Ant. Persius Lyncæus, in omnibus figuris ex omnibus negantibus rectè concludi posse, idque probatum it hoc exemplo: ***Nihil quod non prodest animo est summum bonum, nihil ex bonis fortunæ prodest animo, ergo nihil ex bonis fortunæ est summum bonum.*** Et roborari eadem sententia potest plurimis exemplis, v. g. *quidquid non habet pedes non potest ambulare, lapis non habet pedes, ergo non potest ambulare,* &c. sed ne nouam hanc Terpandri chordam approbemus, dici potest vel huiusmodi *syllogismos* esse hypotheticos saltem implicitè, *si quid non prodest animo, non est summum bonum* &c. quæ propositio, *b* cum dictionem conditionalem non habeat negatiuam, affirmatiua censetur: vel certè minor in vtroque *syllogismo* quatenus est negatiua de prædicato finito, æquiualet affirmatiuæ de prædicato infinito, vt sit iste sen-

ſenſus, *lapis eſt non habens pedes.* Rectè enim cum [c] Toleto & aliis contra Boëtium dicitur negationem verbo præpoſitam etiam in enunciatione aliquando facere verbum infinitum, quo pacto [d] Ariſtoteles faciens demonſtrationem in prima figura hanc minorem ponit, *Planetæ non ſcintillant*, quæ propoſitio ſi non æquiualeret affirmatiuæ, in prima figura, cuius minor negatiua eſſe nequit, nihil conficeret, Itaque in tali *ſyllogiſmo* concluſio immediatè, & per ſe loquendo ſequitur ex minore affirmatiua de extremo infinito, per accidens autem, & mediatè ex minore negatiuâ, quatenus ſcilicet ex minore affirmatiuâ de extremo infinito, poteſt inferri negatiua de extremo finito. Atque eodem clypeo defenditur regula VII. ſuperius tradita, contra quam videtur aliquando ex minore negatiua concluſio inferri affirmatiua. Vnde adhuc

huc rectè e Fonseca docet solius materiæ vi peccare hunc *syllogismum*, *Quidquid amisisti, habes*, &c. Dices. Nulla est negatiua, quæ non alicui affirmatiuæ, vel infinitę, vel aliâ ratione circumscriptæ æquipolleat, ergo excusari poterit eadem responsione, omnis *syllogismus* ex duabus negatiuis procedens? Sed rectè non nemo respondet, præceptum hoc intelligi tantùm de iis negatiuis, quæ ad æquipollentes affirmatiuas reductæ, non faciunt probam formam.


a *Lib 18. cap. 2. 3. & 4. de rectâ ratione Philosophandi.* b *Fonsec. lib. 3. c. 14.* c *1. Periherm. c. 3. q. Vnic. dub. 2.* d *1. Post. c. 10.* e *8 Instit. c. 2.*

§. LXVI.

Sexta regula præscribebat, *ne ex duabus particularibus ratiocinaremur*, aduersus quam opponitur I. *Quoddam animal est bipes, quidam equus est omne*

ani-

animal, ergo quidam equus est bipes. II. *Aliquod animal est Coriscus, aliquis homo est Coriscus, ergo aliquis homo est animal.* Neutra ratio robur habet : ad I. respondetur, etsi in tali *syllogismo* concluderetur vi formæ, minorem tamen tum falsam, tum inusitatam esse, quia prædicato non solet signum vniuersale adijci, quo quidem omisso, palam est, perperam concludi, quidquid sit de antecedente. Ad II. dico *syllogismum* quidem illum probum esse, sed ex medio singulari constructũ, adeoque expositorium, quem regula sexta non obligat. At hîc tandem abrumpenda est disputatio, quia in hac materiâ desinere possumus, non deficere, *malorum* enim *syllogismorum* non est finis.



LIBELLI
DE BONO ET MALO SYLLOGISMO,

PARS ALTERA,

NVNQVAM ANTEhac edita.

in qua

Inter varios Sophiſmatum ludos, de inſolubilibus potiſſimùm diſputatur:

AVCTORE


GEORGIO STENGELIO

Societatis IESV.

MONACHII.

Apud NICOLAVM HENRICVM

ↄIↄ. IↄC. XXIX.



AD LECTOREM.

SVBSISTE parumper, amice Lector, in vestibulo antè, quàm ad cetera progrederis, & pauca ex me intellige. Anachoreta quispiam cæcus, vt in a veteribus memoriis legimus, casulam fortè incoluerat, mille adeò passus ab aquatione dissitam. Hic duos supra viginti annos sine comite quidem, non tamen & sine arte aquatum exiit. Nam cum & fons, ex quo aquam sibi hauriebat, extra viam & via sæpenumero ipsa arenis Aquilonum vesania in cumulum aggestis obsepta esset; funem hinc tugurioli sui foribus innodauit, inde extremam eius partem ad ipsum os putei alligauit: quem funem inter progrediendum manu contingens, veluti nouus Theseus vestigia rexit, itérque omne securus explicáuit. Ars itaque illi pro oculo, funis pro sole fuit: quo si vsus non esset, errare sitibundo potiùs, quàm scaturiginem inuenire licuisset. Funiculo Labyrinthi exitum monstranti artem Logices iam supra comparaui. Nos ipsos in tantis animorum tenebris, tantáque rerum ignorantia

F ac

a *Io. Moschus in limonario cap. 96 & ex eo Matt. Raderus noster part. 3 Viridarij cap. 5 §. 1.*

ac nocte constitutos, si quodammodo cæcos appellauero, facilè etiam veniam dabis, opinor. Ad veritatem nihilominus tendimus, licet cæci. Veritatem porro, quasi in puteo quodam sic alto, vt fundus sit nullus, iacere demersam, iam dudum docuit b Democritus. Meritò ergo illam in putei profundo, lucidissimi instar fontis quærimus. Nullus enim suauior animo potus est, quàm cognitio Veritatis. Cuius solius haustu conceptam visceribus sciendi sitim sedemus, ardorémque restinguamus. Sed nempe viam perturbant luctantes opinionum venti, semitam sepeliunt turbidæ fallaciarum arenæ, atque ita impeditam reddunt, vt neque oculis neque pedibus pateat, nisi fidelem Logicorum præceptorum indicinam, velut viatorium funem continuò apprehendamus. Hunc ducem quisquis sequitur, certus est viæ: quisquis deserit, penè certus est erroris Cum enim blandientes doli, vt præstigiatores quidam, cum voluptate fallant, pauci sunt qui eò trahi se non sinant, quò etiam sponte currunt. Sapienter non nemo. c *O quàm difficilis est*, inquit, *ignorantibus Veritas, & quàm facilis scientibus*: tanquam si dicat, ad veri fontem, raro sine funiculo artis, cum hoc autem & semper, & quodammodo


ſine labore peruenire. Quo quiſquis duci ſe ſinit, nec magnis rupium obſtaculis, nec paruis arenarum cumulis à recto tramite ſeductus. vt ferè etiam aues, quæ ſe poſſunt expedire validis retibus, nunquam hærent in aranearum telis. Funem ergo hunc Veri, quem torquere aliàs cæpimus, en hic tibi continuamus, quo adiutus periculoſiſſimos Sophiſtarum laqueos euadere potes. Quanquam non eſt quærenda ambitioſa hedera huic merci; tua voluntas illi pro hederâ eſt, quæ ex vili precioſum fecit. Abiecta erat in ſcriniis meis, ſed nihil adeò abiectum, quod fauor non extollat. Habe igitur, quidquid hoc eſt libelli, ne prior ille incomitatus in publicum prodeat. Nimirum etiam hoc illi deerat, vt recudi auctior poſſet. Sed neque cibum eundem ſecundò in menſam inferimus, niſi nouo condimento præparatum: alioqui vel turdus crambe vocabitur. Vale. Monachij Anno Chriſti 1618. 14. Kal. Octobris.

b *Lactant. lib. 3. de falſa ſapient.* c *Idem Lactant lib. 2.*

CAPVT PRIMVM.

DE INSOLVBILIbus Sophismatum speciebus.

§. 1. An de his agere sit operæ precium?



VRIOSVM fortasse magis quàm vtile videbitur, has copias è Sophistarum castris educere, cum etiam a Seneca queratur, de iis *tantum librorum esse compositum*, & eodem suasore, in b alio loco, argutiæ eiuscemodi seponi, imò abijci debeant, *Quæ dementia est*, ait, *superuacua discere, in tanta temporis inopia?* nam *quantum temporis*, inquit idem, *quibusdam verborum cauillatio eripit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercet?* Similes iis qui can-

cro:

eros comedunt, (vt eos Ariston olim comparabat) nam propter exiguum alimentum, circa crustas & testas diu occupantur. Sed nequaquam superuacuum est, quod animos tantopere acuit, & ad Veri Falsique discrimen atq; iudicium format. Delicati nimis sunt pedes, qui viam modúmque Scientiæ quærunt, & Stoicas spinas ingredi recusant. Vidimus sæpe, qui erubescerent sibi argumenta talia

Et dici potuisse, & non potuisse refelli.

Quæ sanè per omne genus disciplinarum currunt. Habent Rhetores ἀσυστάτους, habent Dialectici ἀντίστρεφον, habent Iurisconsulti perplexa. habent denique Theologi ipsi Sophisticos eiusce modi Euripos quos dissipet dissuántque. Denique iugulum petunt hi mucrones non modò Dialecticæ, sed omnium etiam disciplinarum ceterarum, dum euertere conantur duo euidentissima

ſima illa Metaphyſicæ principia, quibus alia omnia nituntur, *Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe*, Item, *neceſſe eſt quodlibet eſſe vel nõ eſſe*. Sicut eſſe illud, *Quòd ex vero non niſi verum ſequatur, in bona conſequentia*; quibus euerſis, nemo vllum abſurdum vnquam horrebit, cum maximum abſurdum ſit, ſi quis eò adduci poſſit, vt idem affirmet vel neget, quod tamen ſublatis illis principiis abſurdum amplius non erit. Tempus ergo in his defenſandis explicandíſque fruſtra non teritur: nec adhuc in tanto numero, de hac re ſcriptum eſt librorum ſatis, cum res ipſa adhuc non ſit explicata ſatis. Enimuerò hoc ipſo hæc pars inſuper non eſt habenda, quod eam ſapientes inſuper non habuêre. De ea enim ſcripſit *c* Theophraſtus, ſcripſit *d* Chryſippus, & alij complures haud leuiter attigerunt tam recentiores quàm antiquiores, ſicut videbimus: vt ad-

vt adeo tametsi quorundam nodorum (vt multi ad hunc vsque diem putarunt) solutio, vera ostendi non posset, tamen nomina speciésque nouisse, summaria saltem notitia, Philosopho non foret indignum. Afferemus autem primò ea quæ vel immeritò, vel ob similitudinem, vel denique etiam suo iure *insolubilia*, vocantur: tum deinde etiam solutiones eorum dabimus; vt ipse difficultatum ostensione, Lectorem, ad solutiones earum sitienter quærendas, incendamus. Tantò ardentiùs amantur remedia, quantò clariùs videntur pericula.

a *Epist. 46.* b *Idem Seneca epist. 49. & 45. & post eum Iust. Lipsius lib. 1. Physiolog. Stoicor. dissert. 1. cap. Theophrastus de mentiente tres libros composuit* d *tres itidem Chrysippus de eo soluendo: duos de dissectione soluentes mentientem: item alios de introductione ad mentientem: item alios de introductione ad mentientem, quique continent sermones mentientes ad intro-*

ductionem &c. Canta opus esse, cum tales gryphi occurrunt, admonuit etiam S. Paulus Colossenses cap 2. scribens, Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, quam cautionem hoc te tractatu docemus; dum Sophistarum petitiones ostendimus.

§. 2. Idémne sit Insolubile & Sophisticum?

Etsi autem in Aristoteléa Schola longè aliud est Syllogismus ψευδόγραφος, & σοφιστικὸς, sub Sophistico tamen vniuersim omnes insolubilium argumentorum modi, qui aliquam Syllogismi faciem habent, comprehenduntur, vt doctè a Lælius Bisciola adnotauit. Quamuis multorum structura ita sit ficulnea, & planè ad alium modulum facta, vt reipsa non mereatur habere nomen *inexplicabilis*, quemadmodum f Gellius vocat, aut poni inter *has exquisitas ambiguitates*, quemadmodum g Quintilianus hoc ludificationis genus perquam eleganter appellauit,

uit. Quid enim Syllogiſmus is, niſi inter tirones, *inexplicabile* habet, cuius valorem ſi admiſeris, nihil non probabis? *Aut Doctor es, aut non es Doctor; ſed non es Doctor; ergo es Doctor. Aut aſinus es, aut aſinus non es: ſed non es aſinus; ergo es aſinus; Aut falſum dicis, aut falſum non dicis; ergo falſum dicis. Aut mentiris, aut non mentiris: ſed non mentiris: ergo mentiris.* Sophiſticos hos ſimiléſque Syllogiſmos qui ab eadem forma ſunt, iure vocaueris, vt qui formæ genuinæ vitio fraudem ſpargant; ἀπόρους autem ſeu perplexos, quorum exitum ſcilicet & ſolutionem non eſt inuenire, non rectè vocaueris. Quis enim regulis Logicis, & hypothetici Syllogiſmi legibus vel mediocriter tinctus neſcit *b* vnum contradictionis membrum tolli debere, vt alterum ponatur: aut alterum poni oportere, vt eius contradictorium tollatur, cum ne-

stantia est. Verùm in huius Syllogismi minore, verè tollitur posterius membrum maioris; in supradictis autem Syllogismis, non satis examinatè considerantibus, posterius, quod re ipsa in minore ponitur, ob negationem simplicem (quæ duplex esse deberet) tolli videtur. Quare si ad incudem eos reuocare volumus; ita seruatis veri legibus colligemus. *Aut Doctor es, aut non es Doctor; sed non es Doctor* (repetita videlicet negatione) *ergo es Doctor. Aut asinus es, aut asinus non es: sed non non es asinus, ergo es asinus. Aut falsum dicis, aut falsum non dicis. Sed falsum non dicis, ergo falsum dicis*, &c. Hoc pacto istud genus Sophismatum sanabitur & à morbo valebit, nec ex inexplicabilium grege esse deprehendetur. Quamuis haud magnum operæ sit precium in his formulis, cum Synonimum ex Synonymo colligant. Si enim negatiua parti-

ticula bis posita affirmat; quid aliud dicit hæc præpositio. *Es Doctor.* quàm ista: *Non es non Doctor?* Sed hæc nos tandem missa faciamus: cùm præsertim hypotheticis hîc litem non intenderimus. Quamuis etiam iuuet scire, qua parte istis genua labent.

e *Bisciola Horar. subseciu. tom. 2. lib. 5. c. 8.* f *Gellius lib. 9. cap. 15.* g *Quintil. lib. 1.* h *Vide Petrum Fonsecam lib. 6. Instiut. cap. 32.*

§. 3. Solutio alterius nodi Sophystici ex Insolubilium albo reiecti.

Ad Sophismatum classes, *reducuntur*, inquit, post Politianum, *i* Bisciola, *latentes & obscuræ orationes, itemque Vtis, & Ceratinæ: verb. grat. An nosti patrem tuum? noui: an hunc, qui hîc latet, nosti? non noui: atqui hîc latet, est pater tuus, non igitur patrem tuum nosti.* Veteres ita simile quid proposuerunt. *k Scis-*

ne omnem numerum binarium esse parem? Scio: an numerum nummorum, quem manu mea conclusum gero parem esse scis? nescio: sed is ipse numerus est binarius, nescis ergo omnem binarium esse parem. Hi porrò & similes Syllogismi periculosis ambiguitatem Mæandris ludunt, sed adeò Oedipo illis opus non est, vt vel Dauus sufficiat ad eos ex verè *insolubilium* cætu eximendos. Nulla quippe in eis reciprocatio, nulla reflexio vel plagas explicat, vel prædas implicat. Nec responsio ex intermundiis Epicuri petenda. Aperta enim est in primo captio accidentis [l] quam qui non attendit, *existimat quicquid conuenit aut nō conuenit accidenti, cōuenire aut non conuenire subiecto: & vice versa, quidquid subiecto, & accidenti.* Perinde enim est ac si dicas, *Hîc latentem non nosti; at pater tuus est hîc latens, ergo &c.* [m] Vbi illud (*Non nosti*) quod prædicato mi-

noris propositionis (*Latens*) rectè in propositione maiore tribuitur, creditur etiam tribuendum subiecto minoris in ipsa conclusione: quasi perinde sit, *latentem non noscere*, (quod prædicatum ex Logicorum doctrina, appellat formale significatum subiecti, seu *latentem* reduplicatiuè acceptum) & *patrem* qui latet quique est materiale significatum subiecti) *non noscere*. Ad alterum Syllogismum Veteres ita dixêre: *Binarium omnem numerum*. Formaliter, hoc est, si scimus esse qui binarium, etiam scimus esse parem: at illum numerum nummorum, quem alter manu sua abscondit, licet sit re ipsa verè binarius, cum tamen id nos nondum sciamus, non posse etiam scire, an par sit, adeóque dicebant, *non omnem binarium se scire parem esse, sed eum quem scirent esse binarium*. Quam responsionem repudiat nec vnius assis facit Philoso-

phus,

phus *, *Aliqui sciunt*, inquiens, *id cuius demonstrationem habent, & cuius demonstrationem acceperunt: acceperunt autem, non omnis quem scirent esse triangulum, aut numerum; sed simpliciter de omni numero, aut triangulo, nulla enim propositio accipitur talis, Quem tu scis esse numerum: aut, Quod tu scis esse rectilineum: sed de omni.* Aliam ergo solutionem ipse ex suo ærario suppeditat duobus p locis. Scire nempe nos *omnem binarium esse parem vniuersali cognitione,* quæ omnia particularia in confuso, adeóque etiam illum binarium quem alter manu tegit, cognoscimus: non scire nos autem *propria cognitione.* Et addit. q *Quare contingit etiam in his falli: non tamen modo contrario,* (hoc est errore vniuersali) *sed quia habemus cognitionem vniuersalem, & decipimur particulari.* Ac paulo infra. *Quocirca perspicuum est, etsi alterum nouerit, eum deceptum iri* quo-

quomodo se habent vniuersales scientiæ ad particulares, ex iis enim quæ sub sensum cadunt, nihil à sensu absens cognoscimus, ne quidem si id antea senserimus, nisi hac ratione, quia vniuersalem, & propriam scientiam habemus, non quòd actu ea scientia vtamur. Scire enim dicitur tribus modis: id est, vel vt cognitione vniuersali, vel vt propria, vel vt actu & operatione, quare etiam decipi dicitur tot modis. Nihil igitur prohibet, quempiam cognoscere ac decipi in eadem re. Ex his in forma Respondebis interrogatus. *Scisne numerum manu mea contentũ esse parẽ?* Scio, scientia vniuersali; non scio autem adhuc cognitione propria atque particulari seu distincta. Et cum infertur. *Ergo nescis omnem binarium esse parem:* Dices. nescio cognitione propria & particulari, scio autem cognitione vniuersali, quod ad scientiam sufficit. Atque hoc est, quod Aristoteles inculcat, fatendum esse,

priuſ-

priusquam induxerimus aut acceperimus Syllogismum, *aliquo modo nos scire, alio modo non item.* Hæc solutio etiam primo syllogismo superius posito, tanquam non valde dissimili, sicuti & prioris solutio huic suo modo potest accommodari. Ex quibus conijce, ad quam prædicti Syllogismi classem sint reuocandi. Satis est nimirum illis (licet eorum doli sine profundiore Priorum ac Posteriorum Analyticorum doctrina plenè deprehendi non possint) vt inter reliquos Sophismatum calones lixásque computentur, de manipulis strictè Insolubilium eliminati. Non enim difficile argumentum & insolubile perinde valent.

i *Lel. Bisciol. cit. tom. 2. subsecinar. cap. 8. lib. 5.*] *Quo loco etiam ait; Forma Pseudomenos; Sorites, Encecalymmenos, Ceratines, Vtis, Dialanthanon, Balacra, Therizon, Cyrieum, Electra, Crocodilus, qua continentur ferè omnes sub syllogismo, siue modo syllogismi Sophistico, ne scilicet hunc parentem*

tem improlem existimes. k *apud Aristotelem, lib. 1. Poster. ca. 1. Tex 8.* l *Aristot. 1. Elench. cap. 4.* m *Fonseca lib. 8. Instit. cap. 10. Vbi docet, non quicquid negatur de prædicato, negandum etiam de subiecto: quod etiam in illo syllogismo deprehenditur, Animal non est species infima, homo est animal, igitur homo non est species infima.* n *apud Aristotelem. lib. 1. Poster. cap 1. text. 8.* o *Aristot. ibidem.* p *lib. 2. Prior. Analyt. cap. 21 text. 7. & 1 Poster. c. 1. text. 6. & 9.* q *2 Prior. cap. 21. text. 8. Et ibid. Iulius Pacius. Non omnia tamen sunt sophismata, quæ pro talibus proclamantur: quale est illud, Stilponis apud Laert lib. 2. ca. 11. de statua Mineruæ, quam Phidias finxerat, ita percontantis: Num Iouis Minerua Dea est? cum responsum esset, est: At hæc, inquit, non est Iouis, sed Phidiæ? Id cum esset concessum, collegit. Non est igitur hæc Dea. Ob quam vocem apud Areopagitas impietatis reus peractus est.*

§. 4. Quid Vtides & Ceratinæ?

Nomina tamen in vulgus haud ita nota quosdam trahent. Quid enim Vtis? quid Ceratinæ supra nominatæ? Facit earum mentionem r Diogenes Laer-

tiius cuius hæc verba sunt. *Eadem ratione & ex orationibus, ex modis atq; syllogismis, ex eis item, quæ præter vocem & res sunt sophismatis, vt sunt sermones falsi atq; veri, & negantes, σωρεῖται & his similes, deficientes & ambigui, & concludentes & obscuri, cornuti, & οὔτιδες, hoc est nihil importantes & metentes.* Et est qui his congruè ita doceat. *s Vtin, puto, nominatam ex fabula quæ est apud t Homerum, cum narrat Vlyxem Vtin se Polyphemo nominasse, quo astu se vitamque suam eripuit ab interitu, & ludibrio Polyphemum habuit.* Ludibrio enim fere habentur quibus huiuscemodi nihil importantes syllogismi proponuntur. *Huiusmodi autem,* (Angeli Politiani *u* verba sunt) *dialecticis in percunctando quæstiunculis, quales frequenter ingeniorum acumen excogitat, etiam Milesius Eubulides plurimum vsus, sicut à Laertio Diogene in Euclide Megarensis vita ponuntur, ut Latinè conemur*

nemur interpretari: Mentiens, Fallens, Electra conuelata, Acerualis, & Ceratina, vel cornea, & item Calua. Ex quo in hanc sententiam est apud Comicũ nescio quem, vt idem prodit Laertius; Contumeliosus autem Eubulides Ceratinas inter rogans, & mendacibus, gloriosisq; sermonibus oratores versans, abijt, Demosthenis habens volubilitatem. Quem etiam locum Suidas citauit. Sed & Zenon ille Cyticus inter cauilla cetera Dialecticorum Ceratina, item, & Vtidas numerabat. Hæc ille. Vbi etiam docet Ceratinas *à materia ipsa verborum, qua uterentur*, hoc est à crebra cornuum in ipsis mentione, nomen traxisse. Cérata enim Græcè cornua dicuntur, quibus illi suorum sophismatum tela armabant; vt ex Seneca discimus, ita scribente: *Sederem ociosus, & eiusmodi quæstiunculas ponens: Quod non perdidisti, habes: Cornua non perdidisti, cornua ergo habes, aliaq; ad exemplum huius acuta de-*

tæ delirationis concinnata. Et meminit dolosæ ſupellectilis huius etiam *y* Lucianus quodam loco, ſicuti de Sorite, atque Therizonte, ac alibi: *Cornua inter ſe*, inquit, *producunt, & crocodilos faciũt, & eiuſmodi perplexa docent interrogare.* Alludit ad hunc quoque morem, per fallacem ratiocinationem ſeu tendiculam, alteri cornua affingendi *aa* Martianus Capella, cum inquit

Perdita nequa unquam cornua fronte ferant.

Vt planè intelligas creberrimam cornuum mentionem Ceratinis nomen dediſſe: nempe, *quòd maximè eſſet illa ſyllogiſmi Chryſippei argutia, in qua cornuum mentio fit, illuſtris & vſitata*; ſiue, (vt felici coniectura admonet Biſciola) *quòd vndique petat is, qui aduerſum te his argumentis pugnat, quaſi cornibus hinc inde armatus, ut neſcias, quo te vertas.* Hæc de nomine de re autem; an ſcilicet eiuſ-

cemodi syllogismi sub propria *Insolubilium* signa sint recipiendi, ex præced. §. recordaberis, quid sit sentiendum. Nisi vt Politianum excusatum eas dicere velis, vel Ceratinas non illas *Insolubiles* dici in quibus cornuum fit mentio, sed alias illas captiones, quæ ex Bisciolæ descriptione, quasi cornibus hinc inde armantur, *vt nescias, quo te vertas*; cui sententiæ etiam illa applaudunt, quæ seq. §. dicentur: vel sanè laxius eum minusq; pressè locutum esse, cum scripsit, *cc Ceratinæ quæ sint apud dd Quintilianum, non temerè, qui tibi explicet, inuenias. Qui autem Græca noluerint, Latinaque commentaria, planè intelligent ratiocinationis* INEXPLICABILIS *esse eam speciem, quæ nescio quas ansas, atque vncos arte Dialectica perplexitatis inferret.* Certè siue Ceratine, siue Vtis sit oratio ex indefinito & definito constans, verb. grat. *Qui est hic non est Rhodi, homo hic est, homo igitur*

tur non est Rhodi, nequaquam est inexplicabilis.

r *Laert. lib. 7. de vitis Phil.* s *Bisciola loc. cit.* t *Homer Odyss lib 9.* u *Politian. cap. 54. Miscellan.* x *lib. epist. ad Lucil.* y *Lucian in Philosophorum symposio.* z *In dialog mortuor. Castoris & Pollucis. Et in dialogo altero, cui vel Somnium, vel Gallus est nomen, Interdum etiam, ait, cornua mihi esse dicebat, aliaq; id genus.* aa *Capella lib. 4.* bb *loco dicto.* cc *Politian. cit cap. 54.* dd *Quint libr. 1. Quidquid sit de aliis atque aliis maiorem difficultatem inuehentibus: illud sane de cuius structura supra vidimus aliis subito cornua crescere, adeo non est insolubile, vt & ipsum retusius pistillo à S. Hieronymo (quomodo de simili in ep. qua memorat* κερατινὸν *Chrysippi locutus est) appellari possit. Quis enim non fastidiat illam propositionem. Quicquid non amisisti, habes, etiam citra Logicam? cum infinita non habeamus, quæ nunquam amisimus, quia etiam nunquam habuimus. Alioqui Plato Comicus, Zenodotus, Hesychius pistilli circumuolutionem acriora eiusce-modi argumenta vocant, cum semper eodem reuoluantur. Sic & Plutarchus aduersus Stoicos: Pistilli reuolutionem, ait, ne ridere videaris, omitto: significans eos argumentis perplexis vti, & in cas-*

sum

sum laborare, nec quidquam proficere. Quo sensu & Plato in Theaeteto vtitur. Diogenes, cum quidam collegisset, cum cornua habere, frontem & tempora manu contrectans, dixit: Atqui ego non video, maluit enim sophisma eludere, quam elidere, & irridere quam soluere, teste Laertio lib. 6. cap. 2.

§. 5. An Biantis de re vxoria syllogismus, item an quorundam aceruales sint de Inexplicabilium argumentorum genere?

Existimauit quidam (A. Gellij, ex Atticis Noctibus, *ee* verba ijsdem quibus ille scripsit numeris refero) *etiam illud Biantis viri sapientis ac nobilis responsum consimile esse, atq; est Protagorion illud, de quo dixi modo, ἀντίςρεφον: nam cum rogatus esset à quodam Bias, deberétne vxorem ducere, an vitam viuere cælibem, ἤτοι, inquit, καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχρὰν, κἂν εἰ καλὴν, ἕξεις κοινὴν: ἂν δὲ αἰσχρὰν, ἕξεις ποινήν. ἑκάτερον δὲ οὐκ ἀγαθὸν, οὐ ληπτέον ἄρα.* hoc est, *aut pul-*

chram habebis, aut deformem aliquã; & si pulchram, erit illa alijs communis. Si autem deformem, erit illa tibi pœna. alterutrum autem non est bonum. non ergo accipienda vxor. *Sic autem hoc responsum conuertunt*, εἰ μὲν καλὴν ἕξω, οὐχ ἕξω ποινήν, εἰ δὲ αἰσχράν, οὐχ ἕξω κοινήν, γαμητέον ἄρα. hoc est, si quidem pulchram habuero, non habebo pœnam. Si verò deformem, non habebo communem, vxor ergo ducenda. *Sed minimè hoc esse videtur* ἀντίστρεφον, ait Gellius, *quoniam ex altero latere conuersum frigidius est, infirmiusq́ꝫ. Nam Bias proposuit non esse ducendam vxorem, propter alterutrum incommodum, quod necessario patiendum erit ei, qui duxerit. Qui conuertit autem, non ab eo se defendit incommodo quod adest, sed carere se altero dicit, quod non adest. Satis est autem tuenda sententia quam Bias dixit, quod eum, qui duxit vxorem, pati necesse est ex duobus incommodis, alterum.*

vt aut κοινὴν habeat, aut ποινήν. Cum vel pulchritudinis periculum, vel deformitatis odium se se offerat: imo sæpe vtrumque in vtroque obueniat: haud enim raró cædem nec incolumi pudicitia, nec incolumi forma sunt: & multæ sub melleo vultu adeó felleum animũ gerunt, vt malis in puteo cum canibus, quod dicitur, pugnare, quam in eadem domo, cum eiuscemodi Furia habitare. Neque Phauorinus *statâ* illâ ex *ff* Ennio *forma*, Biantis argumentum multum debilitauit: Cum vtique sub modica & modesta etiam forma immodicus atque immodestus animus latere possit: vt meritó ratum atq; iustum disiunctum Biantis videri queat; cuius rationem prospectumque Phauorinus non habuit; neque is qui Bianti respondit. Sed nunc venio ad Soritas, qui apud *a* Ciceronem *lubricus & periculosus locus, & vitiosum interrogandi genus* nuncupantur,

pantur, & tanquam Philosopho indigni repudiantur: non quod non rectè concludant, *b Si enim omnes priores consecutiones ex quibus extrema texitur, fuerint aptæ, nihil erit vitij in extrema*, cũ ea legitima sit argumentatio, quàm *de primo ad vltimum* vocant, quæquè nititur illo effato. *Ex quocunque sequitur antecedens, sequitur & consequens: & quidquid sequitur ex consequente, sequitur ex antecedente:* siue enim sumantur conditionales duæ, siue plures, si priores ponuntur veræ, tum in quacunque materia etiam extrema est vera, ut ex *c* Aristotele didicimus, verb. grat. *Si homo est, animal est: si animal est, viuens est: si viuens, corpus: si corpus, substantia: igitur si homo est, substantia est.* Non ergo Soritæ damnantur quasi spuriæ argumentationes, sed *quia in hoc quasi minuto ac presso & nimis incitato progressu consecutionum, quarum aliæ alijs, quasi grana granis mi-*

nutatim adduntur, sæpe inepta cum aptis, veræ cum non veris permiscentur, quæ in illo disputationis calore, non facilè dignoscuntur, sic fit, ait rectissimè d Bisciola, *ut tota illa congeries hominem incautum & securum sæpenumero capiat.* Qua de caussa illa etiam estSoritæ definitio ex e Iuliano, *Cauillatio, quæ ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputationem ad ea, quæ euidenter falsa sunt perducit.* cũ enim ex falsis vera possint concludi, verb. grat. *omne prædium in iure consistit, omnis seruitus est prædium, ergo omnis seruitus in iure consistit*: & ex veris falsa colligi nequeant, hoc efficere Sorites conatur per breuissimas mutationes gradatim instructas, & vaferrimas interrogationes minutatim factas, verb. grat. *tres oues paucioréſne sunt: quàm ut gregem faciant? sic sanè: quid verò an & 4. ita? an quinq; ? ita. Sed si addidero vnam, an tum grex erit? minimè. Si alteram? etiam non*

erit

erit grex, & si alteram demum? etiam grex nondum erit: & ad extremum igitur alia addita, vt sint ſ decem, nondum erit grex. Præterea: *hæres éſtne ſucceſſor? certè: quid verò? nonne & legatarius eſt ſucceſſor? planè: Titius autem eſt legatarius; omnino: ſucceſſor igitur, admodum: ergo & hæres, quia ſucceſſor.* Iam *latentis*, ſiue vt Græci vocant, ἐγκεκαλυμένου aut διαλεληθότος exemplum à Laertio ex Zenonis allatũ doctrina, non huius eſt, ſed potius Soritæ: *Non pauca duo ſunt? non etiam tria? nõ etiam quatuor?* ſic vſque ad decem. *Duo autem pauca ſunt, ergo & decem.* Et illud eſt vetus Stoicorum, quo probabant, omne illud, quod quomodocunque eſt bonum, eſſe honeſtum: *Si bonum, ſanè optabile; ſi optabile, expetendum; igitur ſi expetendum, quid ni habeat dignitatem? ſi habet, ergo eſt laudabile, ſi laudabile, ergo honeſtum: igitur ſi bonum eſt, honeſtum eſt.* Vbi tertia conſecutio, ſiue conditiona-

lis est vitiosa, quoniam multa sunt expetenda, quæ non habent dignitatem, vt sunt vtilia quædam atque iucunda. Ex his itaque intelligis Soritem vel bonum esse, vel malum: si malus, facile solui potest negatione vitiosæ conditionalis: si bonus, tum sanè ex argumentis insolubilibus est, cum necessariam consecutionem habeat, sed huc non pertinet, quia hic Insolubilium nomine Sophistica, non autem vera argumenta intelligimus.

ee *lib. 5. cap. 11.* ff *Leu. Ennius in Menalippa.* a *lib. 4. Academ. 99.* b *Bisciola lib. 5. subsec. cap. 8. tom. 2. cuius ferè est totus ille discursus.* c *lib. 1. Prior. cap. 28. 33.* d *loc. cit.* e *Iulian. l natura de verb. sign. & l. ea est natura D. de diuersis reg. iur. ant.* f *quidam decem oues Gregem esse putauerunt, l. Vlt. D. de abigeis. ex qua sententia, falsum addita decima oue gregem non fieri.*

§. 6. Quid

§. 6. Quid & vnde Crocodilites ac Serra, & an ex genere Insolubilium?

Potiore *e* Politianus iure *Insolubilium* titulo decorauit Crocodiliten, seu Crocodilinen, vt eum *f* Quintilianus appellat. Est enim non solùm ex illis laqueis, quos *tanquam plagas quasdã Stoicos contra se texuisse* tradit *g* Cicero, Soriten videlicet & ψευδόμενον intelligens, qui duo loci inter omnia illa contorta & aculeata ipsorum sophismata, præcipui, quorum etiam meminit *h* Laertius, & idem *i* Cicero alijs in locis, itemque D. *k* Augustinus & D. *l* Hieronymus, sed planè *cornu vtrinq; ferit, vt nescias quò te vertas*. Producit *m* Andreas Alciatus exemplum iuris, in quo quodcunque asseruerimus, (vt infra videbis) in eo maximè captiosè vincimur. *n* Doxipater ex Ægyptiaca fabu-

la, *Mulier quæpiam*, inquit, *cum filio secundum fluminis ripas ambulabat, ei Crocodilus filium abstulit, redditurum dicens, si verum mulier responderet. Negauit illa fore vt redderetur, atque ob id æquum aiebat reddi.* Et mox subiungit, *Crocodilitem hanc propositionem vocant, Crocodili huius gratia:* quam etiam πρίωνα, idest, *Serram* vocari à Græcis indicat, nempe quòd alternatim eam mutuatimq; proponentes veluti serram inter se reciprocent, funemque contentionis trahant, altero hircum mulgente, altero cribrum supponente. Consonat *o* Lucianus ita fermè Chrysippum loquentem, eique respondentem quempiam, qui se profiteatur emptorem, inducens. *Cōsidera igitur ita, Estne tibi filius? Quorsum istud? Si fortè illum iuxta fluuium errabundum Crocodilus inueniat, rapiatq; dein redditurum polliceatur, cum verum dixeris, vtrum reddendus, ei videatur, nécne?*

necne? Quid eum sentire dices? Rem sanè perplexam interrogas: & ab ingenio suo intricatam: vt quę omni ex pate cornua obuertat, & cor perfrigefaciat audientis.

e *Angel. Politian cap. 55. Miscellan.* f *lib. 1.* g *in Lucullo* h *lib. 7. in Zen.* i *libr 2. de diuin. & in Hortensio.* k *lib. contra Academ. 2.* l *Apol. in Ruffin cap. 4. Soritarum gradus, & pseudomini argutias: spineta quoq; Chrysippi epist 83. Oceano, cornutum syllogismum. Chrysippeum sophisma, interrogatiunculas tortuosas vocat. qua epistola quomodo penè ipse captus, sed mox ceperit se captantem hareticum disputatione captiosa, eleganter & facetè commemorat. Et in Amos testatur sape his, & similibus conari hareticos sui autores roborare.* m *lib. 1. Parerus cap. 19.* n *Alij hic Doxipater Aphthonij Gracus enarrator.* o *in dialogo cui titulus Vitarum venditiones. Huc referunt nonnulli ambiguè interrogata. Sed euitari illa possunt. Ita apud Laert. lib. 2. ca. 18. Menedemus percontanti cuidam Alexino: An patrem cadere desijsset? respondit: Neq; cecidi, neq; desij. Cum alter subiecisset, oportere soluere ambiguitatem per* ναὶ, *&* οὔ, *aut affirmando, aut negando: Ridiculum, inquit, est vestras sequi leges, cum liceat in*

sum laborare, nec quidquam proficere. Quo sensu & Plato in Theæteto vtitur. Diogenes, cum quidam collegisset, cum cornua habere, frontem & tempora manu contrectans, dixit: Atqui ego non video, maluit enim sophisma eludere, quam elidere, & irridere quam soluere, teste Laertio lib. 6. cap. 2.

§. 5. An Biantis de re vxoria syllogismus, item an quorundam aceruales sint de Inexplicabilium argumentorum genere?

Existimauit quidam (A. Gellij, ex Atticis Noctibus, *ex* verba ijsdem quibus ille scripsit numeris refero) *etiam illud Biantis viri sapientis ac nobilis responsum consimile esse, atque est Protagorion illud, de quo dixi modo, ἀντίςρεφον: nam cum rogatus esset à quodam Bias, deberétne vxorem ducere, an vitam viuere cælibem, ἤτοι, inquit, καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχρὰν, κὴ εἰ καλὴν, ἕξεις κοινήν: εἰ δὲ αἰσχρὰν, ἕξεις ποινήν. ἑκάτερον δὲ οὐκ ἀγαθὸν, οὐ ληπτέον ἄρα.* hoc est, *aut pul-*

chram habebis, aut deformem aliquã:
& si pulchram, erit illa alijs communis.
Si autem deformem, erit illa tibi pœna.
alterutrum autem non est bonum. non
ergo accipienda vxor. *Sic autem hoc responsum conuertunt*, εἰ μὲν καλὴν ἕξω, οὐχ ἕξω ποινήν, εἰ δὲ αἰσχράν, οὐχ ἕξω κοινήν, γαμητέον ἄρα. hoc est, si quidem pulchram habuero, non habebo pœnam. Si verò deformem, non habebo communem. vxor ergo ducenda. *Sed minimè hoc esse videtur* ἀντίστρεφον, ait Gellius, *quoniam ex altero latere conuersum frigidius est, infirmiusq́. Nam Bias proposuit non esse ducendam vxorem, propter alterutrum incommodum, quod necessario patiendum erit ei, qui duxerit. Qui conuertit autem non ab eo se defendit incommodo quod adest, sed carere se altero dicit, quod non adest. Satis est autem tuendæ sententiæ quam Bias dixit, quod eum, qui duxit vxorem, pati necesse est ex duobus incommodis, alterum.*

vt aut κοινὴν habeat, aut ποινήν. Cum vel pulchritudinis periculum, vel deformitatis odium se se offerat: imo sæpe vtrumque in vtroque obueniat: haud enim raro eædem nec incolumi pudicitia, nec incolumi forma sunt: & multæ sub melleo vultu adeo felleum animũ gerunt, vt malis in puteo cum canibus, quod dicitur, pugnare, quam in eadem domo, cum eiuscemodi Furia habitare. Neque Phauorinus *statâ* illâ ex *ff* Ennio *formæ*, Biantis argumentum multum debilitauit: Cum vtique sub modica & modesta etiam forma immodicus atque immodestus animus latere possit: vt merito ratum atq; iustum disiunctum Biantis videri queat; cuius rationem prospectumque Phauorinus non habuit; neque is qui Bianti respondit. Sed nunc venio ad Soritas, qui apud *a* Ciceronem *lubricus & periculosus locus, & vitiosum interrogandi genus* nuncupantur,

pantur, & tanquam Philoſopho indigni repudiantur: non quod non rectè concludant, *b Si enim omnes priores conſecutiones ex quibus extrema texitur, fuerint aptæ, nihil erit vitij in extrema,* cũ ea legitima ſit argumentatio, quam *de primo ad vltimum* vocant, quæque nititur illo effato. *Ex quocunq; ſequitur antecedens, ſequitur & conſequens: & quidquid ſequitur ex conſequente, ſequitur ex antecedente:* ſiue enim ſumantur conditionales duæ, ſiue plures, ſi priores ponuntur veræ, tum in quacunque materia etiam extrema eſt vera, ut ex *c* Ariſtotele didicimus, verb. grat. *Si homo eſt, animal eſt: ſi animal eſt, viuens eſt: ſi viuens, corpus: ſi corpus, ſubſtantia: igitur ſi homo eſt, ſubſtantia eſt.* Non ergo Soritæ damnantur quaſi ſpuriæ argumentationes, ſed *quia in hoc quaſi minuto ac preſſo & nimis incitato progreſſu conſecutionum, quarum alia alijs, quaſi grana granis mi-*

nutatim adduntur, sæpe inepta cum aptis, vera cum non veris permiſcentur, quæ in illo diſputationis calore, non facilè dignoſcuntur; ſic fit, ait rectiſſimè d Biſciola, *vt tota illa congeries hominem incautum & ſecurum ſæpenumero capiat.* Qua de cauſſa illa etiam eſt Soritæ definitio ex e Iuliano, *Cauillatio, quæ ab euidenter veris per breuiſſimas mutationes diſputationem ad ea, quæ euidenter falſa ſunt perducit.* cũ enim ex falſis vera poſſint concludi, verb. grat. *omne prædium in iure conſiſtit, omnis ſeruitus eſt prædium, ergo omnis ſeruitus in iure conſiſtit:* & ex veris falſa colligi nequeant, hoc efficere Sorites conatur per breuiſſimas mutationes gradatim inſtructas, & vaferrimas interrogationes minutatim factas, verb. grat. *tres oues paucioréſne ſunt: quàm ut gregem faciant? ſic ſanè: quid verò an & 4. ita? an quinq; ? ita. Sed ſi addidero vnam, an tum grex erit? minimè. Si alteram? etiam non*

erit

erit grex, & si alteram demum? etiam grex nondum erit: & ad extremum igitur alia addita, vt sint f decem, nondum erit grex. Præterea: *hæres éstne successor? certè: quid verò? nonne & legatarius est successor? planè: Titius autem est legatarius; omnino: successor igitur, admodum: ergo & hæres, quia successor.* Iam *latentis*, siue vt Græci vocant, ἐγκεκαλυμένυ aut διαλεληθότος exemplum â Laertio ex Zenonis allatũ doctrina, non huius est, sed potius Soritæ: *Non pauca duo sunt? non etiam tria? nõ etiam quatuor?* sic vsque ad decem. *Duo autem pauca sunt, ergo & decem.* Et illud est vetus Stoicorum, quo probabant, omne illud, quod quomodocunque est bonum, esse honestum: *Si bonum, sanè optabile; si optabile, expetendum; igitur si expetendum, quid ni habeat dignitatem? si habet, ergo est laudabile, si laudabile, ergo honestum: igitur si bonum est, honestum est.* Vbi tertia consecutio, siue conditiona-

lis eſt vitioſa, quoniam multa ſunt expetenda, quæ non habent dignitatem, vt ſunt vtilia quædam atque iucunda. Ex his itaque intelligis Soritem vel bonum eſſe, vel malum: ſi malus, facile ſolui poteſt negatione vitioſæ conditionalis: ſi bonus, tum ſanè ex argumentis inſolubilibus eſt, cum neceſſariam conſecutionem habeat, ſed huc non pertinet, quia hic Inſolubilium nomine Sophiſtica, non autem vera argumenta intelligimus.

ee *lib. 5. cap. 11.* ff *Leu. Ennius in Menalippa.* a *lib. 4. Academ. 99.* b *Biſciola lib. 5. ſubſec. cap. 8. tom. 2. cuius ferè eſt totus ille diſcurſus.* c *lib. 1. Prior. cap. 28. 33.* d *loc. cit.* e *Iulian. l natura de verb. ſign. & l. ea eſt natura D. de diuerſis reg. iur. ant.* f *quidam decem oues Gregem eſſe putauerunt, l. vlt. D. de abigeis. ex qua ſententia, falſum addita decima oue gregem non fieri.*

§. 6. Quid

§. 6. Quid & vnde Crocodilites ac Serra, & an ex genere Insolubilium?

Potiore *e* Politianus iure *Insolubilium* titulo decorauit Crocodiliten, seu Crocodilinen, vt eum *f* Quintilianus appellat. Est enim non solùm ex illis laqueis, quos *tanquam plagas quasdã Stoicos contra se texuisse* tradit *g* Cicero, Soriten videlicet & ψευδόμενον intelligens, qui duo loci inter omnia illa contorta & aculeata ipsorum sophismata, præcipui, quorum etiam meminit *h* Laertius, & idem *i* Cicero alijs in locis, itemque D. *k* Augustinus & D. *l* Hieronymus, sed planè *cornu vtrinq; ferit, vt nescias quò te vertas*. Producit *m* Andreas Alciatus exemplum iuris, in quo quodcunque asseruerimus, (vt infra videbis) in eo maximè captiosè vincimur. *n* Doxipater ex Ægyptiaca fabu-

 la, *Mu-*

la, *Mulier quæpiam*, inquit, *cum filio secundum fluminis ripas ambulabat, ei Crocodilus filium abstulit, redditurum dicens, si verum mulier responderet. Negauit illa fore vt redderetur, atque ob id æquum aiebat reddi.* Et mox subiungit, *Crocoditen hanc propositionem vocant, Crocodili huius gratia:* quam etiam πρίωνα, idest, *Serram* vocari à Græcis indicat, nempe quòd alternatim eam mutuatimq; proponentes veluti serram inter se reciprocent, funemque contentionis trahant, altero hircum mulgente, altero cribrum supponente. Consonat *o* Lucianus ita fermè Chrysippum loquentem, eique respondentem quempiam, qui se profiteatur emptorem, inducens. *Cõsidera igitur ita, Estne tibi filius? Quorsum istud? Si fortè illum iuxta fluuium errabundum Crocodilus inueniat, rapiatq;, dein redditurum polliceatur, cum verum dixeris, vtrum reddendus, ei videatur, nécne?*

necne? Quid eum sentire dices? Rem sanè perplexam interrogas: & ab ingenio suo intricatam: vt quę omni ex pate cornua obuertat, & cor perfrigefaciat audientis.

e *Angel. Politian cap. 55. Miscellan.* f *lib. 1.* g *in Lucullo* h *lib. 7. in Zen.* i *libr 2. de diuin. & in Hortensio.* k *lib. contra Academ. 2.* l *Apol. in Ruffin cap. 4. Soritarum gradus, & pseudomini argutias: spineta quoq; Chrysippi epist 83. Oceano, cornutum syllogismum. Chrysippeum sophisma, interrogatiunculas tortuosas vocat. qua epistola quomodo penè ipse captus, sed mox ceperit se captantem hareticum disputatione captiosa, eleganter & facetè commemorat. Et in Amos testatur sape his, & similibus conari hareticos suros roborare.* m *lib. 1. Parerus cap. 19.* n *4. hic Doxipater Aphthonij Gracus enarrator.* o *in dialogo cui titulus Vitarum venditiones. Huc referunt nonnulli ambiguè interrogata. Sed euitari illa possunt Ita apud Laert. lib. 2. ca. 18. Menedemus percontanti cuidam Alexino: An patrem cadere desijsset? respondit: Neq; cecidi, neq; desij. Cum alter subiecisset, oportere soluere ambiguitatem per ναι, & ὀυκ, aut affirmando, aut negando: Ridiculum, inquit, est vestras sequi leges, cum liceat in*

portiis occurrere. Alexinus enim captabat insidiosa percontatione, siue enim respondisset, Desij, siue, Non desij, crimen fateri visus fuisset. Desinit enim, qui cœpit, & qui se non desijsse dicit, pergere videtur, quamuis reipsa non necesse sit pergere illum qui ait, de Non desijsse, qui enim nunquam cœpit, nunquam desinere potuit.

§.7. Alia nomina, aliaque Insolubilium exempla etiam in Iure ciuili occurrentia.

Dixi hanc quæstionem, inquit p Africanus de perplexis quibusdam loquẽs, *esse ἐκ τῶν ἀκρων, qui tractatus apud Dialecticos dicitur ἀσύστατος. Sic enim pleriq; legunt: tametsi alijs, τοῦ ψευδομένου magis placeat.* In quæ verba, q *Nobis*, ait Alciatus, *vtraq; lectio videtur posse defendi: nisi quod alterum ad Rhetores, alterum ad Dialecticos pertinet.* Nempe à Dialecticis, ἀσύστατος, hoc est, inconsistens, seu non consistens status dicitur, à Rhetoribus autem generica voce ψευδόμενος, hoc

hoc est *mentiens* appellatur. Sic enim ψευδόμενον, vertit r Cicero. *Cui hoc est nomen*, ait ſ Bisciola, *à mentiente primū in interrogationem assumto, in hunc modum: An mentitur, qui mentiri se dicit? cui si respondeas, Mentiri: colligam statim mentiri, qui falsò dixerit se mentiri. Est ergo oratio mentiens. Cui vtrum vis respondeas, id est siue aias, siue neges, id statim falsum reperitur. Deinde etiam ab ipso genere sumtionis in disputando quæ docendi causa sumitur, is qui mentitur, nomen accepit.* Genus hoc idem ampliùs declarans t Alciatus ita pergit. *Arbitror autem Iurisconſ. de ea asystati specie intelligendum, quæ ἰσάζουσα appellatur, cum eadem ex vtraq; parte dicuntur.* Quod exemplo illustrat duorum vicinorum, qui ipsi secundum omnia pares, pares etiam ætate, mundo cæterisque illecebris vxores habuere. Hi *nocte*, ait, *se inuicem conuenerunt; accusant se adulterij: quid-*

quid enim altera pars dixerit, idem & altera dictura est: cum eadem vtriusque caussam argumenta fulciant. Et subiungit. *Potest & ea quæ ἀντιστρέφοντα dicitur intelligi, cum actionem suam conuertunt litigantes, & neuter sua priore sententia vtitur, sed aduersarij sui.* Eiusmodi argumentum *u* Accursius *Circulare* dixit, *quia eò reuoluitur, vnde cœperat.* Aliud intricatæ litis exemplum *x* alio loco denarrat Alciatus, cuius verba plena iuridici sensus libens volens hîc colloco. De perplexis igitur differens, *Exemplum*, ait, *in iure sic potest accipi: Cum vxori dotis causa* C C C. *iam deberem, aliud æs alienum contraxi: deinde qui mihi superer at vnicum fundum, Sempronio consentiente, hypothecamq́ remittente vxore, vendidi: Secundus creditor iure suo illum euicit ab emptore, vxor iure dotis ab eo, emptor ab vxore: quæritur penes quem cōsistere tandem debeat?* Vbique vertigines vbique

vbiq; cornua,vt vides, adeo vt etiã tribunalib. nõ parcant. Facilius tamẽ è ciuilibus his te ambiguitatibus Cæsarum leges, & tua prudentia eripiet, quàm è Stoicorum Logicis sentibus vulgaris quędam scientia. Vt taceam de illa controuersia quæ est apud z Gellium dicta parum consistens atque inexplicabilis, tentamenti gratia exposita, fuitque huiuscemodi. *De reo septem iudices cognoscant, eáque sententia sit rata, quam plures ex eo numero dixerint. Cum septem iudices cognouissent, duo censuerunt reum exilio multandum, duo alÿ pecunia, tres reliqui capite puniendum, petitur ad supplicium ex sententia trium iudicum & contradicit,&c.*

p *Alc.l qui.CCCC ad leg.Falci.* q *lib.1.Parerus cap 8.* r *Cic.lib 2.de Diuin.* ſ *tom.2 1. subsecinar. libr. 5.cap. 8.* t *loc. cit.* u *Accurs.l. Claudius, qui pot. in pign ita vocauit Aristotelis exemplo, in Prioribus Analyt. agentis de circulari, siue reciproco argumento: cum ad principia subinde re-*

de reuertitur. x *lib. 1. Parerus cap. 19.* z *lib. 9. cap. 15. Possunt hæc talia ipso facto solui, si nempe trium v.g. iudicum sententia rata habeatur. Sic cum Zeno in scholis disserens probaret, nullum esse motum, nec esse posse: Diogenes surgens capit inambulare. Id admiratus Zeno: Quid, inquit, agis Diogenes? Confuto, inquit, tuas rationes, vt Laertius refert lib. 6.*

§. 8. Quid Gellius de his argumentationum prodigijs scripserit?

Gemina his etiam alij retulêre nec pauci, nec indocti scriptores: quorum exempla etsi omnia ad cẽsuram rapias, tamen vitiosum hoc captionis genus vix vsque ad viuam cutem tondebis, nisi nouaculam Logica cote quàm accuratissimè acuas. Audiamus Atticarum Noctium excubitorem. a *Inter vitia,* inquit, *argumentorum, longè maximum esse vitium videtur eorũ, quæ ἀντιστρέφοντα Græci dicunt. Ea quidam ex nostris, non hercle nimis absurdè reciproca appellaue-*

runt,

runt. Id autem vitium accidit hoc modo, cum argumentum propositum referri contra, conuertiq́ in eum potest, à quo dictum est, vtrumque pariter valet. Quale est peruulgatum illud, quo Protagoram Sophistarum acerrimum vsum esse ferunt aduersus Euathlum discipulum suum. Lis namq́ inter eos, & controuersia super pacta mercede hæc fuit. Euathlus adolescens diues, eloquentiæ discendæ, caussarumque orandi cupiens fuit. Is in disciplinam Protagoræ se se dedit, daturumque promisit mercedem grandem, pecuniam, quantam Protagoras petiuerat. Dimidiumque eius dedit iam tunc statim, prius quam disceret. Pepigitq́ vt reliquum dimidium daret, quo primo die caussam apud iudices orasset, & vicisset. Postea, cum diutulè auditor assectatorq́ Protagoræ fuisset, & in studio quidem facundiæ abunde promouisset, caussas tamen non reciperet, tempusq́ iam longum transcurreret, & facere id videretur, ne reliquum

quum mercedis daret, capit consilium Protagoras, vt tum existimabat, astutum. Petere institit ex pacto mercedem. Litem cũ Euathlo contestatur, & cum ad iudices cõiciendæ, consistendæq́; caussæ gratia venisset, tum Protagoras sic exorsus est. Disce, inquit, stultissime adolescens, vtroq́; id modo fore uti reddas, quod peto, siue cõtra te pronunciatum erit, siue pro te. nam si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicero. Sin verò secundum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Ad ea respondit Euathlus. potui, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni isse obuiam, si verba non ipse facerem, sed alio patrono vterer. Sed magis mihi in ista victoria proludium est, cum te non in caussa tantum, sed in argumento quoq; isto vinco. Disce igitur tu quoq;, magister sapientissime, vtróque modo fieri, vti non reddam, quod petis, siue cõtra me pronunciatum fuerit, siue pro me.

Nam

Nam si iudices pro caussa mea senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicero. Sin contra me pronunciauerint, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicero. Tum iudices dubiosum hoc inexplicabileq; esse, quod vtrinque dicebatur, rati, ne sententia sua, vtramcunque in partem dicta esset, ipsa se se rescinderet, rem iniudicatam reliquerunt, caussamque in diem longissimam distulerunt. Sic ab adolescente discipulo magister disciplina eloquentiæ inclytus, suo sibi argumento confutatus est, & captionis versutæ excogitatæ frustratus fuit. Hæc ille, quæ etiam ab alio scriptore floridè narrantur. Neque Euathli oblitus est *b* Aristophanes. Efficta vel effecta videntur ista ad exemplum planè æmulum, quod *c* legitur de Corace quodam, qui primus Syracusis, post mortem Hieronis, instituit artem Rhetoricen mercede profiteri: cum quo adolescens quidam Tisias simili lege pa-

ctus,

ctus,nec abſimili lite rixatus eſt. Quod eorum commentum tam vafrum tamque callidum, vbi iudices (alij ſucclamationem hanc coronæ circumſtantium aſcribũt) audijſſent, admirati verſutiam, ſucclamarunt, κακȣ̃ κόρακος, κακὸν ᾠόν, id eſt, *Mali corui malum ouum*. & rectè. cum vterque Sophiſticis ſutelis doloſè ante tribunal crocitaret: rationibuſque imperuijs vtrinque cauſſam perdere, & ille docuiſſet, & iſte didiciſſet.

a *A. Gellius. lib. 5. Noct. Atticar. cap. 10.* b *Ariſtophan. in Fucis, atque item in Acharnenſibus.* c *in Prolegomenis in Hermogenis Rhet. Valla lib. 3. c. 55. ſua Dialectica multis pro Protagora perorat, contenditq; iudicibus faciendum fuiſſe, quod feciſſent, ſi Protagoras nihil dixiſſet, & Euathlus nihil contradixiſſet.*

§. 9. Quæ apud Lactantium de his Sophiſtarum formis extent?

Herculeum quoque eiuſcemodi nodum

dum vnum alterúmue inter veteres Philoſophos agitatum, eiuſque inueniendi cauſſam nobis reliquit, Chriſtianus Cicero, *d* Lactantius Firmianus his verbis. *Academici*, inquit, *contra Phyſicos ex rebus obſcuris argumentati ſunt, nullam eſſe ſcientiam: & exemplis paucarum rerum incomprehenſibilium contentis amplexi ſunt ignorantiam: tanquam ſcientiam totam ſuſtuliſſent, quia in parte ſuſtulerant, Phyſici contra, ex ijs, quæ aperta ſunt, argumentum trahebant, omnia ſciri poſſe: contentiq; perſpicuis retinebant ſcientiam: tanquam totam defendiſſent, quia ex parte defenderant. Itaque neque hi clara, neque illi obſcura viderunt: ſed vtriq; dum ſolam ſcientiam conſertis manibus vel retinent, vel eripiunt, non viderunt in medio conſtitutam fore, quæ illos ad ſapientiam tranſmitteret. Verum Arceſilas ignorantiæ magiſter, cum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, vt totam Philoſophiam euerte-*

uerteret (auctore Socrate) suscepit hanc sententiam, ut affirmaret nihil sciri posse. Itaque coarguit æstimationem Philosophorũ, qui putassent ingenijs suis erutam esse atq; inuentam ueritatem: uidelicet quia mortalis fuerat illa sapientia, paucisque ante temporibus instituta, ad summum iam incrementum peruenerat, ut iam necessario consenesceret ac periret, repentè extitit Academia, tanquam senectus Philosophiæ, quæ illam cõficeret iam deflorescentem. Rectéq; uidit Arcesilas, arrogantes uel potius stultos esse, qui putent scientiam ueritatis coniectura posse comprehendi. Sed tamen falsa dicentem redarguere non potest, nisi qui scierit ante quid sit uerum. Quod Arcesilas ueritate non cognita facere conatus, introduxit genus Philosophiæ ἀσύστατον, quod Latinè instabile siue inconstans possumus dicere. Vt enim nihil sciendum sit, aliquid sciri necesse est. Nam si omnino nihil scias, id ipsum nihil sciri posse tolletur. Itaq;

qui

qui velut sententiæ loco pronunciat, nihil sciri, tanquam perceptum profitetur, & cognitum, ergo aliquid sciri potest. Vbi vides, quomodo lis litem ferat, cùm eo ipso aliquid scire conuincaris, quia te nihil scire profiteris. Sed pergit facundissimus scriptor. *Huic simile est*, inquit, *illud, quod in scholis proponi solet in asystati generis exemplũ,* SOMNIASSE *e* QVENDAM, NE SOMNIIS CREDERET. *Si enim crediderit, tum sequitur, vt credendum non sit. Si autem non crediderit, tunc sequitur vt credendum sit. Ita si nihil sciri potest, necesse est idipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autem scitur, posse nihil sciri, falsum est ergo quod dicitur, nihil sciri posse. Sic inducitur dogma sibi ipsi repugnans, seque dissoluens.* Auctores igitur isti, se in illum ipsum laqueum quem fugere conantur, induunt, & vbi alios ferire cogitant, sibiipsis vulnus icere incipiunt.

d *lib. 4. de falsa, sapientia cap. 6.* e *Petrus Damiani lib. 2. epist 14. vel 35 ancipitem aliquem syllogismum comparat, cum hoc, quod somnians didicerat Alexander Magnus, Gellio teste, credendum somnijs non esse. Aptè huc referes, quæ Seneca epist. 88. ad Lucilium scribit. Vbi hæc habet. Protagoras ait, De omni re in vtramq; partem disputari posse ex æquo: & de hac ipsa, An omnis res in vtramq; partem disputabilis sit. Nausiphanes ait, Ex his quæ videntur esse, nihil magis esse, quam non esse. Parmenides ait, Ex his quæ videntur, nihil esse in vniuersum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit: ait, Nihil esse. Circa eadem ferè Pyrrhonij versantur, & Megarici, & Eretrici, & Academici, qui nouam induxerunt scientiam, Nihil scire.*

§. 10. Alia esse insolubilia & reciproca strictè, alia tantum per similitudinem.

Parem vim non habet, quod f Plinius refert, g Gellius autem etiam impugnat his verbis. *Vir fortis præmio, quod optauerit, donetur. Qui fortiter fecerat, petijt alterius vxorem in matrimonium, &*

acce-

accepit. Is deinde cui ea vxor fuerat, fortiter fecit, repetit eandem. Contradicitur. Eleganter inquit, & probabiliter ex parte posterioris viri fortis vxorem sibi reddi postulantis hoc dictum est. Si placet lex, redde. Si non placet, redde. Fugit autem Plinium, sententiolam istam, quam putauit esse argutissimam, vitio non carere, quod Græcè ἀντίστρεφον dicitur. & est vitium insidiosum, & sub falsa laudis specie latens. nihil enim minus conuerti ex contrario id ipsum aduersus eundem potest. Atque ita à priore illo viro forti dici: Si placet lex, non reddo. Si non placet, non reddo. quia si placebat illa lex dare forti viro, quod optauerat debebat: si autem non placebat, ipse nec accipere nec seruare vxorem alienam poterat. Itaque hoc non ex Vulcaniis est vinculis, aut ex illa arte, quæ *à* Cicerone teste, *quasi Penelope telam retexens, tollit ad extremum superiora.* Quare intelliges non solùm quam plurima e-

iusce-

iuſcemodi argumenta *inſolubilium* potiùs *ſimilia*, quam reuera inſolubilia ab *f* Eckio (ſi ſtrictè de *inſolubilibus* loqui velimus, qua acceptione *omnis propoſitio inſolubilis eſt reflexiua, & habet reflexionem ſupra ſe*, nos tamen huc vſq; locuti ſumus in genere tam de ijs quæ verè, quàm quæ tantum per qualemcunque ſimilitudinem inſolubiles dicuntur) iure potuiſſe vocari, ſed etiam multa conuerſiua, ſeu reciproca videri, quę re ipſa tamen neque quidem talia ſunt. Atque ob eam cauſſam minus difficultatis habent, quamuis non minus vtilitatis: quod nos, vt tot exempla coacerуaremus, impulit; omnibus enim, qui malos ſyllogiſmos conſtruunt, vti conſueuerunt: quia nullo diſcrimine habent, ferróne an ligno aduerſarium deijciant: atque cum miſſilia deſunt, ipſis poculis pro ſpiculis vtuntur.

f Plinius ſecundus in libris, quos ſtudioſorum inſcri-

inscripsit. g *lib.9 Noctium.cap.16.* h *lib.4.in Lucullo.* i *tract.7.in Petrum Hispanum.*

§. 11. Insolubilium, strictè si accipias, quot species admittendæ?

Syllogismorum autem, (cum à propositionibus insolubiles vocentur) strictè insolubilium, totidem sunt species, quot ipsarum propositionum, à quarum proinde solutione, ipsa etiam syllogismorum solutio deartuatioq; pendet. Insolubilium porrò propositionũ quatuor species à k Scoto talium rerum non dilutæ auctoritatis scriptore, assignantur, nec breuiùs partire aut tenuiùs opus est, cum diuidi rem, non cõcîdi vtile sit. nam *l id vitij habet nimia, quod nulla diuisio. Simile confuso est, quidquid vsq; in puluerem sectum est.* Prima igitur species est, *Propositio seipsam falsificans*, ad cuius scilicet veritatem sequitur illam esse falsam; aut ad cuius falsi-

tatem sequitur illam esse veram, adeóque se ipsam verificans: idque vel immediatè, vt si ponatur sequens oratio, *Hæc enunciatio est falsa*, se ipsam demonstrare, ac super seipsam reflecti: vel mediatè cum scilicet altera, per alteram falsificatur: vt si Socrates Platonem sic alloquatur: *Tuum proximum dictum erit falsum*; Plato autem respondeat, *Tuum proximum dictum fuit verum.* Secunda species est, *Propositionum seipsas possibilitantium aut impossibilitantiũ*, seu ex quarum possibilitate, sequitur impossibilitas earum, vel ex impossibilitate, possibilitas, vt si ponatur sequens oratio, seipsam significare. *Hæc enunciatio est impossibilis*. Tertia species est *propositionum destruentium suam necessitatem*, vt si dicas. *Hæc propositio nõ est necessaria*. Quarta species est *destruentium suam contingentiam*, vt si quis dicat: *Hæc propositio non est contingens.* Quomodo nodosæ

tales

tales propositiones se ipsas falsificent aut impossibilitent, vt loquuntur, item quo modo suam necessitatem aut contingentiam destruant, infra ex solutione earum perspicies. Quæ etiam ostendet, quàm vtile sit ad subtiles eiuscemodi telas retexendas Aristotelis *minutiloquium*.

k *Scotus de Insolubilibus.* l *Seneca epist. 89.* m *Ita Aristotelis subtilitates nuncupat Tertullianus De Anim. cap. 6. & Irenæus libr. 11. aduers. Hær. c. 19.*

CAPVT SECVNDVM.

QVID AD INSOLUBILES responderi vel soleat, vel debeat.

§. 12. Difficiles esse hos nodos, ac veluti Gordios.

VT in quemuis; ita etiam in hunc perplexorum sophismatum Labyrinthum fuit ingressus facilis,

a *Sed reuocare gradum laqueosq́ euadere tantos,*
Hoc opus, hic labor est,

quia in hoc genere plerumque b *Fallacia alia, aliam trudit fallaciam*: vt c hydram secare videatur suis vulneribus valentiorem, vel Peliam lauare, quisquis in hoc difficultatis nemus intrat; liceatq; tale argumentum planè his verbis salutare,

d *O tortuose serpens,*
Qui mille per Mæandros
Frondesq́ flexuosas,
Agitas quieta corda?

Sic agitatus fuerat sapientissimus ille e Socrates, qui cum ad aliquod huiusmodi argumẽtum compulsus fuisset, mox deuoluebatur ad aliud: ita enim Strepsiadem

psiadem alloquitur: f *Attende & intuere, & quocunque modo te mouens versa: veloxque cum in perplexum incideris, in aliam cogitationem mentis pedem conuerte.* Ioannes Eckius, g *tot*, ait *in hac re esse sententias, quot capita: nullibi enim*, adiungit, *errant Logici nostri insigniùs, quam in insolubilibus*: & multi qui alibi vel ouant, vel triumphant, hîc occisissimos se se omnium fatentur.

a *6 AEneid.* b *Terent. in Andria.* c *Plato in Euthydemo ait per hydram perinde ac per Cancrum Sophisticas repullulantes quaestiones significari.* d *Prudentius in carmine, cuius initium, Cultor Dei.* e *Bisciol. lib. 5. cap 8. supra cit.* f *Aristophanes Socratem perstringens.* g *tract. de Insolubilibus, circa initium.*

§. 13. Quanta sit vis ac momentum in hac re, ex Cicerone ostenditur.

Neque facilè extricari, neque nullius rei momentum esse gyros istos, etiam ex Tullianis verbis accipe. f *Nem-*

pe fundamentum Dialecticæ est, ait, quidquid enũciatur (id autem appellatur ἀξίωμα, quod est quasi effatum) aut verum esse, aut falsum. Quid igitur? hæc vera, an falsa sunt? si te mentiri dicis, idque verum dicis: mentiri verum dicis. Hæc scilicet inexplicabilia esse dicitis, quod est odiosius, quàm illa, quæ nos incomprehensa, & non percepta dicimus. Sed hæc omitto. Illud quæro, si ista explicari non possunt, nec eorum vllum iudicium inuenitur, vt respondere possitis, veráne, an falsa sint: vbi est illa definitio, effatum esse id, quod aut verum aut falsum sit? Rebus sumptis, adiungam ex his sequẽdas esse alias, alias improbandas: quæ sunt in genere contrario. Quo modo igitur hoc conclusum esse iudicas? Si dicis nunc lucere, & verum dicis; lucet. dicis autem lucere, & verum dicis: lucet igitur. Probatis certè genus, & rectissimè conclusum dicitis: itaque in docendo eum primum concludendi modum traditis. Aut quidquid igi-

tur

tur eodem modo concluditur, probabitis: aut ars ista nulla est. Vide ergo, hanc conclusionem probaturúsne sis. Si dicis te mentiri, verumq́ dicis, mentiris: dicis autem te mentiri, verumq́ dicis: mentiris igitur. Quî potes hanc non probare, cum probaueris eiusdem generis superiorem? Hæc Chrysippea sunt, ne ab ipso quidem dissoluta: quid enim faceret huic conclusioni? si lucet, lucet: lucet autem: lucet igitur. Crederet scilicet. Ipsa enim ratio connexi, cum concesseris superius, cogit inferius concedere. Quid ergo hæc ab illa cõclusione differt? Si mentiris, mentiris: mentiris autem: mentiris igitur. Hoc negas te posse nec approbare, nec improbare. Quî igitur magis illud? Si ars, si ratio, si via, si vis deniq; conclusionis valet: eadem est in vtroque. Sed hoc extremum eorum est postulant, vt excipiantur hæc inexplicabilia. Tribunum aliquem, censeo, adeant: à me istam exceptionem nunquam impetrabunt. Etenim

eum ab Epicuro, qui totam Dialecticam & contemnit & irridet, non impetrent, vt verum esse concedat, quod ita effabimur: Aut viuet cras Hermachus, aut non viuet: cum Dialectici sic statuant, omne quod ita disiunctum sit, quasi aut etiam, aut non, non modò verum esse, sed etiam necessariũ: vide, quàm sit cautus is, quem isti tardum putant. Si enim, inquit, alterutrum concessero necessarium esse: necesse erit, cras Hermachum aut viuere, aut non viuere (omnino, sed in sensu composito, nõ in disiuncto) *nulla autem est in natura rerum talis necessitas* (nempe in sensu disiuncto, nam in composito esse g Dialectici probant) *Cum hoc igitur Dialectici pugnent, id est Antiochus & Stoici: totam enim euertit Dialecticam. nam si è contrarijs disiunctio* (*contraria autem ea dico, cum alterum ait, alterum negat*) *si talis disiunctio falsa potest esse, nulla vera est. Mecum verò quid habent litium, qui ipsorum disci-*

disciplinam sequor? Cum aliquid huiusmodi inciderat, sic ludere Carneades solebat: Si rectè conclusit, teneo: sin vitiosè, minam Diogenes reddet: ab eo enim Stoico Dialecticam didicerat: hæc autem merces erat Dialecticorũ. Sequar igitur eas vias, quas didici ab Antiocho: nec reperio, quo modo iudicem, si lucet, lucet, verum esse ob eam caussam, quòd ita didici, omne, quod ipsum ex se connexum sit, verum esse: non iudicem, si mentiris, mentiris, eodem modo esse connexum. Aut igitur hoc, & illud: aut nisi hoc, ne illud quidem iudicabo. Hæc Cicero de istis aculeis & tortuoso genere disputandi: ex quibus tamen multa clarè magis, quàm verè explicari, & obijci potiùs quàm solui, tu ipse iudicabis, si nobiscum, ad ea quæ supersunt progrediaris.

f *Cicero lib. 4. Academ. qq.* g *Interpretes Aristotelis in lib. 1. Periherm cap. vltimum, quod ipsum caput consule.*

§.14. Esse tales nodos simpliciter solubiles: & quorum solutiones non sint firmæ?

Vt tandem ad solutiones veniamus, Fuêre primò qui diceret quadraturam circuli antè inuentum iri, quàm solutiones *Insolubilium* syllogismorũ. Quid enim? aut solui possunt, & tunc immeritò *Insolubiles* vocantur; aut solui non possunt, & tunc frustra solutiones eorum quæruntur: & idcirco *inexplicabiles* vocantur, quod explicari à nemine possint. Sed ego pro certo statuendum puto, solui huiusmodi & syllogismos & propositiones posse, atque ob eam rem, nec frustra quæri solutionem. *Inexplicabiles* autem, aut *insolubiles* appellantur, quemadmodum & Labyrinthi *h inextricabiles*, qui quamuis difficillimè sint extricabiles adeoque pænè *inextricabiles*, tamen Ariadnam aliquam

aut

aut Theseum inuenerunt: ita hę propositiones. Alij secundò asseruerunt, *Insolubiles simul & veras & falsas esse* (de illis loquimur, quarum species i supra commemorauimus) *sed diuersa ratione, licet hac diuersitas in specie à nomine, hucusque videatur satis assignata.* Hæc responsio tolerabilior est, quam prima, poteståque honęstari etiam inde, quod in Mathematicis quoque indiuisibilibus dispiciendis nunquam satis acquiescat humanus intellectus, siue quis dicat lineā aut continuum ex illis componi, siue, quod verosimiliùs est, neget. Verũ hoc pacto in re nõ plus dicitur, quam quod illi dicunt, qui aiunt, *Esse aliquam Insolubilium solutionem, quamuis nondum inuentam, aut inueniendam à mortalibus, vt in his quoque, sicut in alijs multis agnoscant ingenij sui tenuitatem.* Et si tandem premas examinatiùs, fatebuntur isti hęc talia inexplicabilia esse, saltem homini-

 bus.

bus. at hoc *odiosum* responsum vocat k Cicero. Tertij vt paulo prius vidimus, ista *excipi* volunt. Atqui inprimis exceptionem istam à l M. Tullio non impetrant. Deinde isti non ostendunt, quo modo nihilominus vera sint vniuersaliter illa principia, *Impossibile est idem esse & non esse*, *Ex vero non nisi verum sequitur*. Quarti, inter quos est *m* Eckius affirmant, *Omnem propositionem insolubilem esse falsam*, eo quod falsificet se *per modum sequelæ, & consecutiuè, quia etiam ad eam esse veram*, ait Eckius, *sequitur ipsam esse falsam: subijciamus rem oculis: Illa propositio: Socrates dicit falsum in casu communi: aut est falsa, aut vera: Si falsa, habetur propositum: si vera tunc arguitur sic: Socrates dicit falsum: & non dicit nisi istud: ergo istud est falsum: & per consequēs, non est verum. Sic ergo illa propositio consecutiuè & per viam sequelæ seipsam falsificat. Regulæ autem Logicæ sunt intelligendæ*

de

de propositionibus se non falsificantibus per viam sequelæ. Hæc responsio dum explicat, implicat. Nam eodem modo dici potest etiam *omnem propositionem insolubilem esse veram*, eò quòd verificet se, per modum sequelæ & consecutiuè. *quia etiam ad eam esse falsum, sequitur ipsam esse veram*, verb grat hæc propositio: *Socrates dicit falsum, aut est vera, aut est falsa: si vera, habetur propositum: si falsa, tunc arguitur sic: Socrates dicit falsum*, est falsa propositio, ergo dicit id esse quod non est: dicit se autem falsam, ergo non est falsa, ergo vera. *Sic ergo illa proposito consecutiue & per viam sequelæ seipsam verificat*, non minus atque ex Eckhij mente falsificat Nequaquam ergo insolubiles magis falsæ sunt, quam veræ. Quare non video, quam rimam reperiant, qui in hunc responsionis carcerem ingrediuntur.

h *Catullus de nuptijs Pelei &c. ita loquitur.*

Ne Labyrintheis è flexibus egredientem, Tecti frustraretur inextricabilis error. i *in §. 11.* k *in Lucullo cit.* l *ibid.* m *in tractatu de insolubilibus.*

§. 15. Quænam solutio sit omnium probatissima?

Murum hunc ferreum Sophistarum, nullo ariete validiùs quati posse arbitror; quàm si dicamus, primò eiuscemodi propositiones neque veras neq; falsas esse: secundò propositiones in se ipsas reflecti, eo pacto, quo istæ solent, non posse: tertiò omnino propositiones Dialecticas non esse; ex quo manat neque verum ab illis neque falsum significari, adeoque ad syllogismum erigendum idoneas non esse. Vnde etiam cadit *n* Ciceronis argumentum, quo ostendere conatur ex illo syllogismo, *Si dicis nunc lucere, & verum dicis: lucet: dicis autem lucere* &c. etiam hunc bonum esse, *Si dicis te mentiri, verumque dicis, mentiris,* &c. licet enim eodem modo i-

ste

ste concludatur, si formam (in qua vitium non est) aspicias, non tamen eodem modo concluditur, si materiam (quæ inepta & minimè Logica est, vt docebo) consideres. Ac tales quidem propositiones neque veras neque falsas esse, ostenditur 1. per tertium dictũ; quia nempe verum aut falsum esse, proprietas est Dialecticæ enunciationis: atqui tales non sunt enunciationes Dialecticæ, quod inde colligo, quia omnis enunciatio, est oratio: omnis autem *o oratio* (si de ea quæ in voce aut scripto consistit cum Fonseca loquamur) *est vox ex instituto significans; cuius aliqua pars significat separatim*. Rursum, si vox ex instituto significans ergo *signum*, & quidem *instrumentale*. Si signum, ergo alterius rei non sui ipsius signum: cum signum & res significata non sint idem: &. *o signa instrumentalia sint ea, quæ potentijs cognoscentibus obiecta, in* ALTE-
RIVS

RIVS *rei cognitionem ducunt:* &, vt D. q Augustinus definit, *Signum sit, quod seipsum sensui & præter se aliquid animo ostendit.* Nec enim imago verb. grat. est sui ipsius signum aut imago, sed Cæsaris: & Cæsar non seipsum significat, sed per imaginem tanquam per signum significatur. Certè non solùm ex vi nominis, sed ex ipsa natura sua, omniumq; sentẽtia communiore videtur signum esse quod alterius rei loco ponitur ad ipsam significandam. r Nec nisi diuerso planè respectu, & tanquam species vel indiuidua confusè, quædam in genere suo comprehensa significantur, vt cum dico inter nomina cetera, ipsum etiam NOMEN, & inter Vocabula reliqua ipsam etiam hanc vocem VOCABVLVM comprehendi. Quare ex ipsa signi natura ac definitione constat, signum non posse esse sui ipsius signum; adeoque etiam (quod secundum erat Dictũ

no-

nostrum) non posse in se ipsum reflecti. Quod enim de partibus seu de signis affirmatur, ex quibus enunciatio conflari solet, de ipsa etiam dici debet enunciatione, cum sit eadem natura totius, quę est partium. Atque hoc ostenditur 2. etiam inde, quòd eadem materialiter propositio, si se ipsam significare desinat, mox vera propositio fieri, verumque aut falsum significare incipiat. hæc enim verb. grat. *Socrates dicit falsum*, quam diu à Socrate pronunciatur, & reflexa manens se ipsam significat, tam diu neque, an vera, neque an falsa sit iudicare poteris: quia verum aut falsum significare signorum est: at ibi signum nullum est, vtpote à re significata non diuersum. Cum autem eandem vocem Plato pronũciat, & Socrate Deos verb. grat. multos esse in gratiam Atheniensium docente, dicit, *Socrates dicit falsum*, ecce tunc subitò vox illa rē aliam signi-

ſignificans à ſe, in naturam enunciatio-
nis euadit, verumque dicit. Denique eo
ipſo argumento vtor pro hac ſententia
ſtabilienda, in quo maximè cardo inſo-
lubilis prorſus difficultatis (niſi ad no-
ſtrum modum explices) verſatur. Cum
enim *ἀξίωμα, effatum*, *& fundamentum*
ſit totius Dialecticæ, ſ Cicerone teſte,
vt *quidquid enunciatur, aut verum ſit, aut
falſum*, tales autem propoſitiones ne-
que veræ ſint neque falſæ; concluditur,
rectiſſimè, non eſſe inter ea, quæ enun-
ciātur adeoque enunciationes Logicas
non eſſe formaliter, ſed tantùm mate-
rialiter, & Grammaticè, quæ ipſa ſimi-
litudine ſoni incautos in errorum præ-
cipitia proturbant, vt putent, cum ad a-
lia ſignificata translatas videant eſſe aut
fieri veras enunciationes, eſſe etiam ac
manere tunc veras enunciationes, cum
ad ſeipſas ſignificandas præpoſterè v-
ſurpantur. Quod tamen contra ratio-
nem

nem ſigni cum fiat, vel ipſis ſignis iniuria fit, vel veritati. Sed video à me expectari vt confirmem, quod ſupra in primo dicto & nunc etiam in minore dixi, *tales propoſitiones neque veras eſſe, neq; falſas.* Quod ſanè in omnibus quatuor ſpeciebus *t* ſuperiùs annumeratis clarè demonſtro. Eſt enim nõ minus receptum inter Philoſophos pronunciatum. *Eandem enunciationem ſimul veram & falſam, adeoq; etiam idem eſſe & non eſſe nequaquam poſſe,* quam illud, *omnem enunciationem veram aut falſam eſſe,* atqui tales enunciationes ſiue veræ eſſe ponantur, ſiue falſæ; ſimul erunt veræ & falſæ; poni ergo non poteſt, eas aut veras eſſe, aut falſas. Et quidem ſi de prima ſpecie *propoſitionum ſeipſas immediatè falſificantium aut verificantium* iudicemus; Ponatur ſequens oratio, *Hæc enunciatio eſt falſa,* ſe ipſam demonſtrare, ac ſuper ſe ipſam reflecti. quo poſito probatur prædi-

prædictam enunciationem, nec veram nec falsam, vel certè simul veram & falsam esse. nam si vera est, ergo significat esse, quod est, cum sit affirmatiua, sed significat se esse falsam, ergo est falsa. ergo à primo ad vltimum, si est vera, est falsa. Si autem contra, est falsa; ergo significat esse quod non est, sed significat se esse falsam, ergo non est falsa. ergo à primo ad vltimum, si est falsa, non est falsa; ac proinde vera, vel certè neutra: quod volumus, & clamamus. Iam si etiam euisceremus *propositiones, quæ mediatè se falsificant*, altera scilicet per alteram, quarum prima sit, Socratis Platonem sic alloquentis: *Proximum dictum tuum erit falsum*; secunda sit Platonis ita Socrati respondentis: *Proximum tuum dictum fuit verum*, inueniemus itidem, quod vtralibet harum propositionum se ipsam, mediante altera falsificet, aut verificet. Si enim propositio Socratis

est

est vera, tunc propositio Platonis est falsa; sed si propositio Platonis est falsa, tũc etiam propositio Socratis est falsa: ergo si propositio Socratis est vera, est etiam falsa. Sin autem propositio Socratis est falsa, tunc propositio Platonis est vera: & si propositio Platonis est vera, tunc etiam propositio Socratis est vera. ergo si propositio Socratis est falsa, est etiam vera. Quæ omnia eodem modo de propositione Platonis possunt probari. Secunda species erat *propositionum se ipsas possibilitantium, seu impossibilitantium*, id est, ex quarum possibilitate sequitur impossibilitas earum, vel ex impossibilitate possibilitas. vt si ponatur sequens oratio se ipsam significare. *Hæc enunciatio est impossibilis*: nam si est impossibilis, tunc est falsa; si est falsa, significat esse quod non est; sed significat se esse impossibilem, ergo non est impossibilis: ac proinde possibilis. Si autem est possibilis,

lis. potest esse vera: Ponatur ergo vera esse: iam si est vera, significat esse, quod est: sed significat se esse impossibilem, ergo est impossibilis, adeoque si est possibilis est etiam impossibilis. Tertia species erat *destruentium suam necessitatem*, vt si dicas. *Hæc propositio non est necessaria*: Si enim hæc propositio ponatur esse necessaria, tunc necesse est, non esse, quod dicit non esse: sed dicit se non esse necessariam, ergo necesse est eam non esse necessariam, ac proinde, si est necessaria, sequitur, quod etiam nõ sit necessaria. Scire cupies, cur nos dicamus, *si hæc propositio ponatur esse necessaria*? cum videatur potiùs ponendum contrariũ. Si enim ponitur vt vera, ergo dicit id esse quod est: dicit autem se necessariã non esse, ergo potiùs non est necessaria, & ita ponenda. Rectè quæris. Atqui scito me in sententia permanere Si enim ista oratio, *Hæc propositio non est necessaria*,

tia, ponatur non necessaria, adeoque (nam si impossibilis esse ponatur, hoc ipso falsa, si falsa ergo non erit necessaria) contingens: ergo erit ita vera, vt falsa esse possit, cum ex ipsa natura hoc sit contingentium. Ponamus ergo esse falsam: tum negabit profecto id esse, quod est; negat autem se esse necessariam, ergo erit necessaria: quod nos posuimus. Iam ergo si necessaria esse ponatur, sequetur illam non esse necessariam, atque ita suam ipsa necessitatē destruet. Vnde messis mali metitur. Quarta species erat *propositionum destruentium suā contingentiam*: vt si dicas. *Hæc propositio non est contingens.* nam si dicta propositio ponatur esse contingens, tunc prædicatum contingentiæ, ita abest illi, vt possit etiam adesse, vel ita adest, vt possit etiam abesse. Ponatur ergo illi de facto abesse, & mox vera erit ista enunciatio, *Hæc propositio non est contingens,*

non

non est contingens: sequetur itaque ex eo, quod ponitur esse contingens, non esse contingentem. Rursus quæres, cur hác, qua de agimus, propositionem ponamus esse contingentem, cum tamen ipsa dicat se non esse contingentem? Respondeo hanc quartam speciem à Scoto tantum videri assignatam ob similitudinem tertiæ speciei: atque idcirco tantum procedere ex hypothesi, si ponatur esse contingens: Nam si ponatur esse necessaria, adeoque contingētiam non habere, quo modo poterit contingentiam suam ipsa destruere? Hæc itaque argumenta omnia, nunquam satis soluta nunquam satis soluentur, nisi tales propositiones negentur esse veræ propositiones, vtpote veris signis non constantes. Hoc autem negato, collabitur illico omnis architectatio Sophistarum, & in cinerem suum abeunt cadauera syllogismorum.

n lib.

n *lib 4. Academ qq.* o *Fonseca. lib 3. cap. 1. & Arist 1 Peri. 4. Immo etiam Petrus Hurtadus de Mendoza, disp. 4. sect. 1 mentalem propositionem definiens, esse actum intellectus iudicatiuum, mox in sect. 2. ait, materiam propositionis esse, obiectum iudicij, quod aliud esse debere, ab ipso illo iudicio ibidem insinuat. & disp. 10. sect. 11. ait, syllogismum alium esse obiectiuum, alium formalem: illum esse obiectum, circa quod versatur syllogismus: hunc autem esse ipsam ratiocinationem, seu actus intellectus, quibus circa obiecta ratiocinamur: vt adeo syllogismus obiectiuus sit, materia syllogismi formalis. quæ sanè vt rectè dicuntur, ita dici vix possunt, de syllogismis qui propositiones habent sei ipsas significantes.* p *Fonseca libr. 1. Instit. cap. 8.* q *S. Aug. libr. de princ. Dial.* r *Vide eundem D. Augustinum in lib. De Magistro. cap. 5. de signis se inuicem significantibus.* s *Cic. loc. cit.* t *nos supra §. 11.*

§. 16. Quid ad ea, quæ ex sacris litteris in eundem modum proponuntur, sit respondendum?

Nec à diuinis quidem litteris Sophisticæ Harpyjæ abstinent: ita nihil est,

 quod

quod non contaminent veritatis interfectores. Nos omissis alijs duo præcipuè loca in medium afferemus, difficultatem gignētia: dum Sophistica torqueri inuoluiq; possunt vertigine. Exclamat *a* alicubi propheta Dauid: *Ego dixi in excessu mentis meæ: omnis homo mendax. Cui responderi potest* (inquit *b* D. Gregorius, ex mente Sophistarum) *si omnis, & tu. Falsaque iam erit sententia, quam mendax ipse protulisti. Si verò ipse non es mendax, vera iam sententia non erit: quia dum tu verax, non omnis homo cognoscitur mendax.* Et de Cretensibus loquens *c* D. Paulus, ita scribit, *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces; malæ bestiæ, ventres pigri, testimonium hoc verum est.* Hunc prophetam alij Callimachum, alij communius veriusque dicunt esse Epimenidem poëtam Cretensiū & Philosophum ac templi Mitræ, id est, solis

sacer-

ſacerdotem, vt ex D. Hieronymo docet *d* Cornelius Cornelij à Lapide. Eius carmen Græcum ita ſonat,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Quod pari carmine Latino, ſed non pari ſenſu reddidit Faber Stapulenſis.

Gnoſſius vſq; loquax, mala beſtia, viſcera pigra,

loquax enim non perinde valet, ac *mendax*, nec *viſcera* id ſignificant, quod *ventres*, id eſt, guloſi, ventri dediti. Si ergo *Cretenſes ſemper ſunt mendaces*, aut *Epimenidis*, qui & ipſe eſt Cretenſis, *carmen verum eſt. aut falſum: ſi verum, ergo Cretenſes non ſemper ſunt mendaces*, quia ſaltem in hoc dicto aliquis Cretenſis fuit verax: *Sin falſum igitur Cretenſes non ſunt ſemper mendaces*, cum falſum ſit, *ſemper eſſe mendaces.* Et profectò, ſi Cretenſes ſemper mentiuntur, quomodo Apoſtolus ſemper mētientium dictum ap-

 probat,

probat, dicens, *testimonium hoc verum est?* Verùm priorem nodum quasi sibi præcauens, ipse diuinus vates eneruauit, cum ista præmisit, *Ego dixi in excessu mentis meæ. Per excessum ergo mentis,* inquit e S. Gregorius, *etiam seipsum transijt, cum de hominis qualitate definiuit. Ac si patenter dicat: De falsitate omnium hominum, inde veram sententiã protuli, vnde ego ipse super hominẽ fui. In tantum verò & ipse mendax, in quantum homo: in tantum autem omnino non mendax, in quantum per excessum mentis super hominem.* Et f Ioannes Lorinus noster. *Hoc pacto,* ait, *soluitur paralogismus, seu sophisma, quem vocant quoq; ἄπορον καὶ ψευδῆ, καὶ τὴν περιτροπὴν, syllogismum dubium, & falsum, atq; circumactũ, seu regressum, g quo aliqui Dauid credendum, hac ipsa in re negant, qui & ipse homo sit, ac proinde mendax. Nam loquitur Dauid de homine, qui humano loquatur affectu, non autem*

afflatus

afflatus diuino spiritu. Item respectu Dei Chrysostomus explicat, dici mendacem omnem hominem, sicut & quæ alioqui splendens affirmatur stella vespertina, comparatione aliarum; sole fulgente lucida non vocatur. Idem legere est apud h *Gratianum, qui etiam dicit, quod eius comparatione, qui mutabilitatem nescit, omnis creatura vitiosa dicitur, nec vera, sed vana, homoq; mendax.* Notum illud i Architæ, *vt sine spinis inuenisse piscem difficile est, ita & hominem, qui non dolosum spinosumq; quiddam habeat.* Ex his facile responsionem erues, atq; distinctionem, quam in forma ad obiectum reddas. Alterum de Cretensibus allatum nullo etiam negotio dilues, si ea in memoriam reuocabis quæ k auctores crebrò vsurpant, *à potiori fieri denominationem.* Licet enim Cretenses adeò mendaciloqui sint, vt prouerbio dederint occasionem, κρητίζει πρὸς τὸν κρῆτα, *cum Crete cretizat*; &

ob ingenitam fallendi procliuitatem dum nescio quis, cuilibet genti sua vitia assignat, rectè ita scribat; *Pœno perfidior, Scytha asperior, Scythotauris inhospitalior, Parthis vanior, Thracibus bibacior, Sybarita fastuosior, Milesijs effœminatior, Arabe ditior, Arcade stolidior, Care vilior, Cretensi mendacior*; quin licet insuper meritò eandem ob caussam, inter τρία κάππα κάκιστα, *tria cappa pessima*, seu tres gentes à cappa incipientes, scilicet Cilices, Cretenses, Cappadoces (quos vltimos quod à Gabaonitis prognati sint, mendaces & peruersos esse etiam *l* Isidorus demonstrat) numerentur, tamen nemo, nec ipse etiam mendaciorum architectus cacodæmon, vsq; adeò est infelix, vt non interdum illi veritas excidat vel inuito. Nam & à Græcis in mentiendi arte exercitatis *Græcizare* dicuntur, qui Veritati fumum aut laruam inducant; & *m* Cicero Græcis testatur

ſtatur *iuſiurandum iocum fuiſſe, teſtimonium ludum, laudem gratiam, gratulationem propoſitam omnem in impudenti mendacio:* Et tamen ipſi Græci non ita continuâ vnâ telâ Græcizabant, vt non interdum vera loquerentur, etiam cum hiſtrioniam facerent. Sic inter perpetuos quaſi mendaciorum imbres, in Creta, aliquando etiam Veritatis lux effulget.

—— nec fingunt omnia Cretes.

Modus ergo loquendi eſt, cum dicitur *Cretenſes eſſe ſemper mendaces*, quo indicatur eos vt plurimum ſub Vanitatis ſignis ſtipendia facere: quo ferè etiã modo de lurcone aliquo aut comedone dicimus, *eum ſemper in caupona & tabernis latitare*, licet ſubinde in forum prodeat. *Verum* ergo *hoc* Epimenidis Cretenſis *teſtimonium* eſſe poteſt licet interim & illud verum ſit. *Cretenſes ſemper* (id eſt, plerumque) *eſſe mendaces.* Quamuis

vt intelligas, etiam si strictè Epimenidis carmen ad veritatis libellam explorare velimus, ita illud SEMPER, verum esse, vt etiam in eo ipso versu pronunciando athleticè mentitus sit; aduerte ex *n* S. Hieronymo & Chrysostomo, occasionem, quæ Epimenidem & Callimachum mouit, vt Cretenses mendaces nominitarent, fuisse, quod Cretenses incolæ Iouem non in cælo viuere, sed in Creta, vbi rex fuerat mortuum & sepultum crederent, eiusque sepulchro inscripsissent: *Hic iacet Iupiter.* Hinc enim eos arguit Epimenides, & Callimachus, quòd Deos & diuina nõ sentiant: *Sepulchrum,* inquiunt, *tuum, ô Iupiter, fabricati sunt Cretenses, sed mentiuntur: tu enim minimè obîsti, sed in cælo, quasi Deus immortalis semper viuis.* An nõ hîc ipsus mentitur Epimenides? an non *Iupiter obijt*? an non inibi. vbi incunabula habuit, etiam *tumulatus* est? an monstrum

istud,

iſtud, iſta omnium adulteriorum Lerna, *in cœlo, quaſi Deus immortalis viuit?* tum ſanè nemo Proſerpinæ debetur, ſi hæc ſcelerum omnium confluges immunis fuit. Quomodo ergo, inquies, ſi hîc poeta hallucinatur, de eius dicto Apoſtolus ait, *teſtimonium hoc verum eſt?* ſi mentitur, quo modo verum eſt? Reſpondent S. Hieron. & Chryſ. Apoſtolum non probare illam opinionem de Iouis diuinitate, cuius occaſione hoc dixit Epimenides, ſed tantùm rẽ ipſam, ſcilicet quòd Cretenſes ſint mendaces, nempe ob ingenitàm mentiendi fallendique procliuitatem. *hoc* autem omnino *verum eſt teſtimonium*: neque macula erroris ineſt in eo: mẽdaces enim planè ſunt, dum Creticè loquuntur. Ex quibus illud diſce, eodem dicto ab Epimenide & verum & falſum fuiſſe prolatũ; ne vel in hac ipſa ſententia à more patrio degeneraret. Verum erat, quod

Cretensibus mendacium; falsum, quod Ioui diuinitatem ascripsisset. Quid autem est, *eodem ore flare & sorbere*, si hoc non est? magnidica vtique mendacia, quæ vt machinam doctius machinentur, inter oracula incedunt. Nempe ita est, vt o Irenæus obseruauit, *Non ostenditur per se impostura, ne nuda deprehendatur: sed amictu verisimili callide ornata, ita vt imperitioribus videatur externa specie, se ipsa veritate veriorem exhibere.*

a *Psal. 115.* b *lib. 22. Moral. cap. 10.* c *ad Titum. cap. 1.* d *in cap. 1. ad Titum. Versl. 13.* e *loc. cit. in Iob.* f *in Psal. 115. Vers. 2. Vel 11.* g *idem respondet Origenes tom. 2. in cap. 3. epist. ad Rom. & S. Hieronymus in cap. 1. epist. ad Ephes. & S. Augustinus serm. 151. de tempore.* h *de pænit. d. 2. c. fin § sicut ergo.* i *AElian. 10. Variar. c. 12.* k *commentatores in Topica Aristot.* l *Isidorus Pelusiot. epist. 281.* m *pro 2. Flacco.* n *in istum S. Pauli locum.* o *in præfat. lib. 1. adu. hæreses.*

§. 17.

§. 17. Quid de Crocodilite, de Protagoræ & Euathli, itemq; de Coracis & Tesiæ argumento, & similibus sit existimandum?

Superest ad vltimum vt & de istis aliquid dicamus: nam & in his Euripus cernitur: quæ propositiones *similes insolubilium* vocãtur. Est autem propositio *insolubili similis, quæ ex casu cum ponitur vera: statim declarat se esse falsam: & cum ponitur falsa, statim declarat se esse veram;* quo modo Eckius eã depingit; quamuis alij etiam alias *insolubili similes*, aut & *insolubiles* species vocent, vt supra ostẽdimus, & proinde nõ secus tractant, ac si verè tales essent. In compendio rẽ expediemus. quia propositiones eiuscemodi, p *Reddã filiũ si verũ respondebis: q si cõtra te lis data erit* &c. nõ habent Logicas difficultates, sed morales neq; laborant

circa veritatem & falsitatem, sed circa possibilitatem seruādi promissa vel iuramenta: quippe cum euentus semper ostendat alteram esse veram, alteram falsam: quamuis aliquando etiam palàm faciat, loquentem non posse seruare promissa. Si enim Crocodilus *redditurum se matri filium promisit, si illa verū responderet, & illa respondit, Non redditurum*, siue Crocodilus filium reddat, siue non: promissio, seu propositio iuramēti physicè & in rigore est falsa, moraliter autem in suo sensu, quo prolata fuit, aut proferri debuit, est vera, nam cum crocodilus (aut homo aliquis) spopondit, tales sophistas noluit, vel certè non debuit iuramento suo includere. Atq; illa propositio *somniauit quidam, ne somnijs crederet*, si oculata die inspiciatur, facilè apparet, qualis sit. Si enim nulli somnio vnquam credendum, ergo nec huic ipsi, quod dicit, *somnijs non esse credendum*.

dendum. Si autem hoc ipsum nõ est credendum, *quòd somnijs non sit credendum*, ergo credendum erit simul & non credendum. Nempe ea (Logica non est, cũ vtique vera sit propositio, si quis ita somniauit) est difficultas moralis, vt facere vtrinque simul satis non possis. Quamuis interim etiã vera sit hæc propositio, *somnijs plerumq́ credendum non esse*, qua merè sunt somnia: & verò nec huic ipsi propositioni, quà somniũ est, sed quà aliunde vera est, credi debet. Vel certè somnium dicens, *somnijs non esse credendum*, de reliquis, nõ de se ipso loquitur. Similiter neque Protagoras caussam à se contra Euathlum susceptã voluit pacto suo esse comprehensam *r* Neque lex præmij viro forti persoluendi comprehẽdit alienam vxorem. Quare *s* *casus soliti poni cum istis propositionibus*, ait Eckius, *non sunt admittendi: non quia non sint possibiles: sed quia ex casu & eventu*

euentu sequitur contradictio, & copulatiua composita ex partibus incompossibilibus. Et *si de facto talis casus eueniat, cum isto euentu, tunc illud quod est incompossibilitatis remoueatur: hoc est, vel fiat, ac si promissio vel conditio non fuisset adiecta, vel ac si euentus ille non contigisset.* Itaque in potestate Crocodili est, vt mulieris responsio sit vera, si enim filium illi non reddit, tum vtique mulieris responsio fuit vera, dicentis, *Non reddes*: at crocodili quoque sponsio in hoc casu fuit falsa: quia spopondit se redditurum: *si ipsa verum diceret*, Si autem illi filium reddit; tum mulieris dicentis, *Non reddes* propositio falsa erit: & crocodilus conditionem promisso adiectam non seruabit. At quid faciet Crocodilus vt non fiat periurus? Respondet *u* Eckius, in simili, posse facere Crocodilum (vel *Eckebertum*) qui iurauit *se redditurum filium*, ac si mulier nihil tale dixisset ad

eum.

eum, *cum non possit, nec teneatur adimplere iuramentum in isto casu*, vnde *præsumitur* si Crocodilus (vel *Eckebertus*) *iurans actualiter cogitasset, de incompossibili suo iurato, ipse se noluisset obstringere ad illud obseruandum: & ita potest facere, ac si nunquam iurasset, vel ac si Otpertus* aut mulier mater filij promissi, *nunquā aliquid dixisset ad eum. De ista materia iuramenti, quomodo cōditiones generales habentur pro expressis, habetur in iure Canonico.* Ita etiam si Euathlus in iudicio vincens obtenta caussa nihilominus didactrū Protagoræ dederit, tum eius promissio erit vera: si non dederit, erit falsa. Quamuis pactio eius intelligi possit, si in iudicio caussam obtinuerit, cuius consecutio non impediat solutionem debiti. huius enim caussæ victoria repugnat & pacto & conditioni. Eadē responsio cōuenit etiā duabus sequentibus dubitationib. Prima est, *Paulus promisit se in religionem ingres-*

ingressurum, si etiam Petrus vellet eandem ingredi: at Petrus iurauit se omnino ingressurum in illam ipsam religionem, si tamen Paulus non vellet ingredi. Venit Libanius Sophista, & dicit ad Paulum, *Tu ingredieris in religionem.* Quæritur ergo, *Sitné Paulus ingressurus an non?* Si ingressurus est, ergo Petrus non est ingressurus, iuxta suum iuramentum. Sed si Petrus non est ingressurus, etiam Paulus non ingredietur, cum hanc sibi conditionem posuerit, se tunc tantùm ingressurum si etiam Petrus ingrederetur. At rursus si Paulus non ingredietur, ergo Petrus ingredietur, quia iure iurando obstrictus est ingredi religionem, si Paulus non ingrediatur. Satisfaciat ergo Petrus suo iuramento, & ingrediatur. tunc mox iterum obligatio etiam Paulum ad ingrediendum impellet, & Petrum denuò expellet, atque ita in infinitum lis ambiguumque recurret. Secunda dubitatio

est.

st. *Spopondit Aristides dicenti sibi verum lenarium se daturum. venit illi obuiam Diaphanites Sophista, & dicit, Tu non dabis mihi denarium.* Si dat, *dat dicenti falsum; si non dat, denegat dicenti verum.* Dare ergo non potest, ne det dicenti falsum. Sed neque denegare potest, ne deneget dicenti verum. In æquilibrio ergo anceps caussa hæret. Quid faciendum? biuium est cuius neutra pars secura. Tertia ergo via quærenda, & illuc eundum est, quo supra digitum intendimus.

p *nes supra §. 6. q §. 8. de Protagora & Euathlo.* r *§. 10.* s *tract. de similibus insolubilium.* t *ita Robert. Holcot q. 3 primi sentent. & Marsil. q. 4. quarti sentent. Ioan Maior dist 38 q. 1. quarti.* u *Verba sunt Eckij, Vti & exempla sequentia.*

§. 18. Corollariola.

Ex luce in præcedentibus paragraphis accensa, aliquot nobis radij veritatis emicant, quos veluti mantissam in fine huius capitis ponendos esse iudicaui.

dicaui. Nam primò intelligimus, non ſine inſigni Sanctorum Patrum gloria, quanto illi ingenij acumine *a verboſas* iſtas *ſtrophas b perputauerint*, quamque philoſophicè *contortuplicatas* eiuſcemodi orationes, nominaque, vt *c* Comicus loquitur, expoſuerint. Neque enim D. *d* Gregorius tantùm, hanc ſiluam peruenatus eſt, ſed D. quoq; *e* Baſilius, & D. *f* Hieronymus, & cum iſtis illuſtriſſimus Cardinalis *g* Bellarminus, qui etiam illud. *Omnis homo mendax*, eruditè ait, ita explicari poſſe, vt dicatur, *aliud eſſe hominē ſemper mentiri, aliud eſſe mendacē: poteſt enim homo mendax, aliquando vera loqui, præſertim ſi nō ex ſe, ſed ſpiritu Dei loquatur: mendax enim dicitur homo, quantū ex natura ſua obnoxius eſt errori & falſitati, quomodo intelligitur illud. h Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mēdax*. Hæc ille, vt videas ex vno puteo non poſſe ſimiliorem aquā aquæ ſumi,

quam

quam hæc doctrina est, si cũ ijs quæ supra attulimus cõponatur. Deduces secundò, ipsum quoq; S. Thomã pro nobis stare, adeò vt velut iunctis quadrigis aduersarios nostros prosternamus, cum dicimus hanc vocẽ (*Hæc enunciatio est falsa*) quando ponitur se supra se ipsam reflectere, non esse orationẽ aut veram, aut falsam, cum se ipsam significare non possit. Ita enim Angelicus Doctor in simili docet, cũ inquit, *i Numerus determinatus (si accipiatur numerus simplex, qui est tantum in acceptione intellectus) per vnũ mensuratur. Si verò accipiatur numerus rerũ in diuinis personis, sic nõ competit ibi ratio mẽsurati: quia eadẽ est magnitudo triũ personarũ. Idẽ autem non mensuratur per idẽ.* vt proinde non valeat illa obiectio, q̃ probare conabatur *tres diuinas personas nõ contineri sub numero ternario,* eò ꝙ omne sub determinato numero contentũ, sit mensuratũ (quia numerus mensu-

mensura quædam est) tres autem diuinæ personæ sint immensæ, adeoq; non mensurari queant. Itaque ex mente & fundamento D. Thomæ IDEM NON MENSVRATVR PER IDEM. Quo modo ergo talis enunciatio, de qua nos loquimur, à se ipsa mensurabitur? Certè si falsæ aut veræ essent, deberent prius natura esse veræ, aut falsæ, quām sint veræ aut falsæ, quod ἀδύνατον est. Nam speculatiua veritas & falsitas natura prius supponit obiectum tanquam mensuram, vt clarè docet ♄ Aristoteles: obiectum autem talium propositionum est ipsa earum veritas; ergo prius deberent esse veræ aut falsæ, vt aduersarij affirmant: qui huic proinde satis periculosæ machæræ se obijciunt. Colliges ex his ipsis tertiò respōsionem Ioannis Heidfeldij non esse ad rhombum, cum ait, *l Quæ verò huius sophismatis est elusio, Cum mentior & mentiri me dico, mentior an*

verum

verum dico? & respondens pergit, *Verum dicis, si quod dicitur, respicis, id est, quod significatur: falsum autem dicis, si significationem vocum attendimus, quod mendacium sonat, vel clariùs sic: cum falsum pro vero sciens prudens dicis, mentiris: cum verò addis te mentiri, tum verum dicis.* In his neque cælum, quod aiunt, neque terram attingit Heidfeldius, non enim est controuersia, hæcne enunciatio *Mentior*, tum vera sit, cum de alio priore mendacio loquor: omnino enim vera est, quia ipsam falsum à me ante prolatum verè significat: non enim semper idem est, *orationem falsam esse*, &, *orationem falsum significare*, cum ipsum *falsum* verè significare possit; quòd solùm vult Heidfeldius. Sed nodus &, vt Comicus vocat, verbum perplexabile tunc est, cum hæc vox (*Mentior*) de se ipsa loquens proponitur, quē Heidfeldius vt dissimulet, minorem illum

lum nodulum ſibi ſumit enucleãdum; maiorem, adhuc tanquam fugitiuus compedes ſecum trahens. Vt concinnè ipſimet tribui poſſit, quod ipſe de iſtorum nodorum fabris ſcribens, *Quid*, ait, *vſu venit iſtis argutatoribus? Idem quod his qui ſuam umbram ſaltu ſuperare contendunt: non enim relinquunt, ſed ſecum ſemper circumferunt ſuas abſurditates longiſſimè à veritate remotas.*

a *Phædrus* b *Plaut. Ciſt.* c *idem in Perſ.* d *loc. ſupra cit.* e *in Pſal. 115. Ser. 2.* f *fusè in eundem Pſal. de ſententia quæ in contrarium vertitur, diſput.* g *etiam in dict loc. Pſal.* h *S Paul. ad Rom. 3.* i *S. Thom. 1. p. q. 50. art 2. ad 5.* k *5. Met. text. 5.* l *In Sphinge philoſophica cap. 29.*

CA-

CAPVT TERTIVM.

DE CONVERSIONE Absolutarum Propositionum.

§. 19. Cur hîc de conuersione?

QVIBVS a libris Aristoteles syllogismum cudere docet, iisdem etiam agit de conuersionibus enunciationum, cũ enim *imperfecti*, vt vocant, hoc est minus clare concludentes syllogismi nonnullis sæpe fluxam fidem gerere videantur, atq; idcirco ex vmbra educendi & ostensiuè probandi sint, opus est cõuersione aliqua propositionis Maioris vel Minoris. Cuius rei documẽta sanè iuste posuit [b] Fõseca, ita vt regulas terminorũ quidem

quidem communium complecteretur illis versiculis.

FEcI simpliciter conuertitur EuA per acci:

Ast O per contra: sic fit conuersio tota,

tota, inquam, terminorum communiũ quidem, singularium autem inibi subiungeret. Quin c Philosophus etiam absolutarum conuersionum regulas abundis rationibus ostendit, easque ex natura & vi ipsarum enunciationum vniuersalium & particularium tam affirmantium quàm negantium comprobauit. Sunt nihilominus nõ pauca, quæ negocium facessant, in ijsdem regulis à cauillatione defendendis: quæ nisi aduertas, facilè in scopulum incurres. Ex his ergo quoque latebrosis te locis educam, si quædam tamen prius vniuersim admonuero.

a *lib. 1. Prior. cap. 2. & 3.* b *lib. 3. Instit. cap. 8. & 13.* c *idem Aristoteles lib. 1. Prior. cap. 2.*

§. 20.

§.20. Monita quædam generalia circa conuersionum regulas obseruanda.

Ne igitur documenta illa conuersionum quamuis iusta, peruersè tamen intellecta lites tibi creent, non indiligenter aduertas oportet. Primò *d* Verbum in conuersione, sæpe resolui debere in participium, vt, *Quidam lepusculus habet longas aures ergo quoddam habens longas aures, est lepusculus:* vel certè si verbum non lubet resoluere in participiũ, oportet illud iungere relatiuo. vt, *Quidam asinus habet lõgas aures, ergo aliquid, quod habet longas aures, est asinus.* Secundò scire licet, quamuis auctores exempla cõuersionis tantùm suppeditent in propositionibus veris, formam tamen conuersionis non violari, etiam si falsis propositionibus applicetur. Siquidem hæ conuersiones *Nullus smaragdus est lapis, ergo nullus lapis est smaragdus: Qui-*

dam cancer est rana, ergo quædam rana est cancer, sunt secundùm quid veræ probæq́; conuersiones, licet sub bona forma, tanquam in aureo scypho, malam materiam, tanquam plumbeum vinum contineant Hæc verò; *Quædam rana nõ coaxat, ergo quoddã non coaxans, seu quod non coaxat, nõ est rana*, seu, *ergo quoddam quod non coaxat, est rana*: seu denique; *ergo quoddam, quod coaxat, non est rana*: non est conuersio bonæ formæ, cũ particularis negatiua non conuertatur, nisi per *contrapositionem*. Dixi, *secundũ quid*, quia sicut *&* ad syllogismum simpliciter bonum, etiam bona materia pertinet, ita & ad conuersionem simpliciter bonam: cum & hæc tanquam res artefacta, certam sibi materiam postulet. Tertiò non ignorandum est has; *Omnis homo est risibilis, ergo omne risibile est homo: Omnis equus est hinnibilis, ergo omne hinnibile est equus: Omnis canis est latrabilis,*

bilis, ergo omne latrabile est canis; & similes terminis cõuertibilibus, id est æquè latè patentibus constantes, esse quidem itidẽ bonas conuersiones, *secundũ quid*, id est materiales, non tamen vllo modo formales, aut *simpliciter* sic dictas. Quamobrẽ etiã reciprocationes appellari possunt, cũ in ijs vel definitũ cũ definitione, vel descriptum cũ descriptione, vel subiectũ cũ proprietate, vel species cũ differentia sua in concreto reciprocetur; vt ex sequentibus exẽplis cognosces: *Omnis homo est animal rationale, ergo omne animal rationale est homo*: vbi definitũ in locũ definitionis trãsfertur: *Omnis asinus est animal rudibile, ergo omne animal rudibile est asinus*; in qua cõuersione descriptũ cũ sua descriptione locum mutat: *Omnis leo est rugibilis, ergo omne rugibile est leo*; vbi subiectũ & proprietas cõuertuntur: *Omnis homo est rationalis, ergo omne rationale est homo*;

in qua conuersione species eiusque differentia de se vicissim affirmantur. Has igitur conuersiones seu reciprocationes neuult *f* Aristoteles ex instituto tractare: cum formales illi cōuersiones potissimum inseruiant, ad syllogismos imperfectos stabiliendos. Quartò denique vel puero perspicuum esse debet, conuersionem contrapositionis itidem nō esse conuersionem propriè dictam, neque ei conuenire definitionem conuersionis; quia non tantùm commutat extrema, ita scilicet, vt ex subiecto fiat prædicatum, & ex prædicato subiectū, sed omnino mutat terminos, & ex finitis facit infinitos, quamuis nihilo minus sit bona atque formalis cōsequentia, cuius etiam meminit *g* alibi Aristoteles.

d *Huc facit, quod eruditè Martinus Smiglecius noster in Logica sua parte altera, disp 12.q.6. seqq. verbis annotat. Quod ad definitionem termini attinet, verum est, Verbum sub ratione termini, non*

compre-

comprehendi: terminus enim est materia propositionis, verbum autem est forma, quid igitur mirũ, si verbum includatur (excludatur lege) *à ratione termini: nam & subiectum, & id quod de subiecto dicitur, est materia prædicationis, ipsa verò ratio formalis prædicationis est in verbo. Quare distingui debet prædicatum formale & materiale, terminumq́; esse, prædicatum materiale, verbum autem, vt verbum esse prædicatum formale, quia est prædicatio ipsa. Ex quo patet in cõuersione propositionum, cum ex prædicato fit subiectum, & ex subiecto prædicatum, verbum nec ad prædicatum, nec ad subiectum pertinere, quia conuersio propositionum fit secundũ terminos materialiter sumtos, verbum autem, vt verbum, non est materiale prædicatum, sed est ipsa prædicatio formalis. Quare hæc propositio, Homo est albus, conuertitur in hanc, Album est homo, verbo manente immoto, quia, vt dixi, conuersio fit secundum materiales terminos. Quanquam & verbum vt resoluitur in nomen, potest dici pertinere ad conuersionem. Nã verbum Est significat existentiam, cum autem ex prædicato fit subiectum, existentia quoq́; prædicati transit in subiectum, & implicitè saltem continetur in subiecto: idem enim est dicere, Album; & ens album. Verum hoc non est verbum formaliter acceptum conuerti in propositione. Hæc ille. c Vide*

quæ nos supra parte 1 libelli cap. 1. § 6 diximus de syllogismo seu ex apertè, seu ex occultè falsis propositionibus f *Aristot. lib. 1. Prior. cap. 2. & 3.* g *Idem 2 Topic 3.*

§. 21. De conuersione enunciationum negatiuarum vniuersalium.

Ab his ordimur, quia ita versiculus ille, *Feci simpliciter &c.* h supra recitatus monet. Sed partiri ante placet, quã exta earum inspiciamus. *Enunciationes* itaque *negantes* vel sunt *vniuersales*, vel *particulares*, vel *singulares*, Si *vniuersales*, tũ & *simpliciter*, & per *accidens* conuertuntur. Si *particulares* aut *singulares*, tũ eo modo & tempore vel conuertuntur vel non conuertuntur, quo *i* Fonseca clarè indicat; vt adeò hæc conuersionũ genera in quadra formula proponãtur. In singulis, ni attendas, infortunij balista intenta est. Nam contra id, quod dicebatur Vniuersalem negatiuam conuerti

uerti simpliciter obijcitur primò hoc exemplum: *Nullus equus necessarius est ad equitandum*(quia neque Bucephalus necessarius est ad equitandum, cum equitare possis Pegaso; neq; Pegasus etiã necessarius est ad equitandum, cum equitare possis in Gaij imperatoris Incitato, sed neque Incitatus hic necessarius est ad equitandum, cum alteruter Hirpinus ad equitandum sufficere possit; imo neque Hirpinum neque alium vllũ mihi equum nominaueris, quem ad equitandum tibi necessarium esse fateri debeam) *ergo nullum necessarium ad equitandum, est equus?* ista conuertens falsum loquitur, cum vtique aliquod necessarium ad equitandum sit equus, & tamen conuersa seu antecedens veritate non caruit. Atqui in bona consequentia non sequitur falsum ex vero, non fas est igitur vniuersalem negatiuam simpliciter conuertere. Sed

nihilominus hæc regula frugi bonæ est, vti & ipsa conuersio accuratiùs si trutinetur. Respondeo enim subiectũ propositionis conuertendæ duplici modo accipi posse, sicut & subiectum propositionis conuertentis; *copulatiuè* nimirum & *copulatim*: si *copulatiuè* accipiatur vtrinque tam in propositione conuertente, quã in conuersa; vtraque propositio vera erit, & ipsa conuersio optima: sin copulatim vtrimque sumatur, tum vtraque in eo sensu falsa erit propositio, & sic licet conuersio concedatur, non tamẽ falsum ex vero sequetur: si denique subiectum in antecedente copulatiuè, in consequente autem copulatim sumatur, quid mirum est, mutatis terminis, immo potiùs ipso propositionum sensu, fugere rationem cõuersionis? Vere enim dicitur in sensu copulatiuo, *Nullus equus est necessarius ad equitandum*, id est, *hic equus non est necessa-*

cessarius ad equitandum: & hic equus non est necessarius ad equitandum: & ille equus non est necessarius ad equitandum &c. Falsò autē dicitur in sensu copulato, *Nullus equus est necessarius ad equitandum*, id est, *hic, & hic, & iste, & ille &c. equus non est necessarius.* Pari modo rectè dicitur in sensu copulatiuo, *Nullum necessariū ad equitandum est equus*, id est, *hoc necessarium ad equitandum non est equus, & istud necessarium ad equitandum non est equus, & illud necessarium ad equitandum non est equus* &c. Longissimè autem à vero abest in sensu copulato eadē propositio, *Nullum necessarium ad equitandum est equus*, id est, *hoc & istud & illud necessarium ad equitandum non est equus.* cum aliquod prorsus indeterminatum necessarium ad equitandum sit equus, citiùs enim sine alis volare, quàm sine equis equitare disces.

h *cap. 3. §. 19.* i *Petrus Fonseca lib. 3. c. 8. Instit. §. 22.*

§. 22. An omnis propositio vniuersalis negatiua possit simpliciter conuerti?

Posse, regula affirmat: non posse, exempla clamant, quæ idcirco quæstioni subijcienda. Nam obijcitur secundò. *Nullus homo non est animal*, quid verius? *ergo nullum animal non est homo*, quid falsius? falsa igitur & regula, cum manum inijciat Veritati. Sed respondendum est, conuersionem hanc non esse ad suum perpendiculum factam. Cum enim conuersa propositio duabus negationibus constet, duæ autē negationes, in Latinis, affirment, colliges meritò illam nō negatiuam sed affirmatiuam esse. Quod si affirmatiua, qua violentia, aut fraude ius negatiuæ vsurpat? Suis priuilegijs contenta sit, tunc non simpliciter sed per accidens conuerti hac ratione debebit: *Nullus homo non est animal,*

nimal, ergo non aliquod animal non est homo. En vt etiam conuersiones cum leges suas seruant peccare desinunt! Obijcitur tertiò. Hoc pronunciatum, *Dolus nemini debet patrocinari*, & multæ propositiones aliæ similes penitùs non videntur pati iugum conuersionis Quòmodo enim conuertes? an sic? *ergo quidquid nemini debet patrocinari, est dolus*: atqui hoc falsum, cum vtique neque ipsa mala caussa alicui debeat patrocinari, quę tamen à dolo distinctum quid esse potest. An igitur sic conuertes? *ergo nihil quod nemini debet patrocinari, est dolus*: at hoc planè aduersum est illi, quod in conuersa dicitur. Nequaquam ergo omnis propositio vniuersalis negatiua vllo pacto conuerti, ne dum simpliciter conuerti, potest. Verùm etiam istud mare facilè tranquillabimus. Nam si conuersa sit vniuersalis negatiua, vt ponitur esse.

tunc idem est dicere, *Dolus nemini debet patrocinari*, ac si dicas, *Nullus dolus debet alicui patrocinari*, iam hæc citiùs quàm rota figuli conuertitur; ita enim inferendum est, *ergo nihil, aut nulla res, quæ debet alicui patrocinari, est dolus.* Quod si verò est vniuersalis affirmatiua, vt sanè esse potest, saltem quod ad valorem attinet, tunc perinde est ac si dicas, *Omnis dolus est id quod debet nemini patrocinari.* Sic autem per accidens conuerti illam decet, vt dicas, *ergo aliquid quod debet nemini patrocinari, est dolus.* Sed huc non pertinet, vbi de vniuersalibus negatiuis agitamus; sicut etiam si perinde hæc indefinita, & nullo signo prænotata sonat, ac particularis affirmatiua, nam tunc conuertitur quidem simpliciter, *Aliquis dolus nemini debet patrocinari, ergo aliquid quod debet nemini patrocinari est dolus:* Sed itidem huc non spectat. Denique poni potest

loco

loco particularis negatiuæ, vt idem sit, ac si dicas: *Aliquis dolus non debet vlli patrocinari*, & tunc per cõtrapositionem cõuertenda est hoc modo, *ergo aliquid non debens vlli patrocinari non est non dolus*. Quidquid autem sit de *l* forma loquendi, certè sensus maximè affinis est vniuersali negatiuæ. Non enim alicui tantùm, sed prorsus omni dolo malo negatur ius patrocinandi, ita vt nullus dolus, vllum iuuare debeat. Ita etiam cum alicui iudici mandatur, *m maleficum non patieris viuere*, non est sensus, *aliquem maleficum non patieris viuere, sed nullum prorsus, etiam si tibi sit sanguine, aut amicitia, aut alio titulo coniunctus.*

k *c. ad nostram de emptio. & vendit. & alibi. Vide Thomam Sanchez, tom 1 de Matrim. lib. 2. disp 22. num. 6.* l *Nam ex forma, videtur esse enunciatio indefinita, cum eius subiectũ pro multis rebus acceptum nullo notetur signo, vt docet Fonseca lib 3. Instit cap 5 at indefinitæ, vt aliqui volunt, tum ex modo significandi, tum etiam ratione materia contingentis, cum ea constant, imo etiam*

iam cum materia necessaria constant, idem valet atque particulares. Alij tamen vero propius dicunt indefinitas ex materia necessaria & impossibili idem valere ratione materiæ, atque vniuersales, saltem tunc cum prædicata earum non minus latè patent, quàm subiecta, aut cum directa sit prædicatio. Consule Fonsecam cap. cit. In *Exod. 22. 18. & Deut. 18. 10. dicitur, Nec inueniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria,* Nec Sit Maleficvs, *nec incantator, neque qui pythones consulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Quibus verbis vtique non aliquis tantùm maleficus; sed omnis esse inter Israelitas prohibetur, cùm statim subiungatur: Omnia enim hæc abominatur Dominus Cum ergo hæc non magis in vno, quam in alio abominetur, vim vniuersalis habere videtur cùm dicitur, Non sit maleficus in te. Certè si vniuersalis enunciatio est, vt aliqui definiunt, cuius prædicatum competit vniuersis speciebus & indiuiduis subiecto comprehensis, vix negari potest hanc, Dolus nemini debet patrocinari, esse vniuersalem; licet definita non sit, hoc est, licet signum aliquod vniuersalitatis, (qualia sunt omnis, Vniuersi, Cuncti, Quilibet, Quisque, Quotquot, Vnusquisque: Nullus, ne vnus, Nemo) non habeat subiecte*

iecto expresse additum: nec id per illud syncategorema (NEMINI) *indigitetur, quia id se ex parte prædicati habet, at prædicato, vt Aristotel. cap. 7. de Interpret t 4. docet, nota seu signum vniuersalitatis vel non additur, immediatè falsèm & quando propositio est tertij adiecti, (nec enim omnis homo est omnis Grammaticus) vel si, cum prædicatum est verbum adiectiuum, rectè talis prædicati partibus additur, vt in præsenti fit, & in hac quoque cernere est, Deus conseruat omnes homines, tum vniuersalem propositionem non efficit. Quamuis illud interim Bartholomæo Keckermanno Dantiscano in systematis Logicæ lib. 2. ca. 2. non negemus, etiam aduerbia quæ locum nominis tenent, posse facere vt propositiones sint vniuersales: vt,*

Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt:

item nusquam tuta fides: & alia huiusmodi, quæ vel loci, vel temporis vniuersalitatem significant.

§. 23. Quo modo conuertantur vniuersales negatiuæ enunciationes præterito aut futuro constantes?

Manus

Manus læua ſoror dextræ, dixit olim quiſpiam, rectiùs coniunxiſſet quæſtiones Logicas, quarum vna alteram ita trahit, vt meritò ſanguine iunctæ videantur. Nam ecce de conuerſione vniuerſalium negatiuarũ adhuc agimus, & ſubitò ad alium titulum deſcendimus, ſed nimirum coniunctionis neceſſitas id facit Contra conuerſionem enim vniuerſalium negatiuarum obijcitur quartò hoc exemplum: *Nullus ſenex erit puer*, (ætate intellige, nam iudicio bis puer fieri poteſt) *ergo nullus puer erit ſenex*. Quod tamen ſe fore omnes ſperant, multi etiam cano capite ſe cõſecutos eſſe oſtendunt? Ad hanc ſimileſque obiectiones ait Ægidius regulas ab Ariſtotele traditas fuiſſe de propoſitionibus de præſenti: ſi quis autem illas velit accommodare etiam ad eas, quæ ſunt de præterito & futuro, tum præteritum vel futurum reſoluere debere in

gerun-

gerundia vel participia præteriti aut futuri temporis, & in copulam Est secundum regulas ampliandam: verb. grat. vt hæc *Nullus senex erit puer*, mutetur in hanc, *Nullus senex est passurus puerilem ætatem*, tunc enim facilè conuertetur, hoc pacto, *ergo nullus passurus puerilem ætatem, est senex*: item vt ista: *Nullus puer fuit senex*, mutetur in hanc, *nullus puer est passus senectutem*, tum enim rectè cõuertetur sic, *ergo nullus passus senectutem, est puer*. Bellè hæc talia dicuntur. In forma tamen ad exemplum obiectum respondetur, non seruari in eo regulam conuersionum, vt nimirum ex prædicato fiat subiectum. Siquidem in hac conuersa, *Nullus senex erit puer*, prædicatum non tantùm est τὸ *Puer*, sed etiã τὸ *Erit*, qui tamen posterior semiterminus seu conterminus in conuertente non fit subiectum, sed manet prædicatum. Quare iuxta rectam normam facienda

cienda est hæc conuertens, *Ergo nullus qui erit puer, est vel fuit senex*; siue, *nullus futurus puer est vel fuit senex*. Quando enim verbum significat aliquid amplius quàm copulam seu coniunctionẽ prædicati cum subiecto (vt si significet etiam certam differentiam temporis, pręsertim præteriti aut futuri, vt in proposito exemplo contingit) tunc in conuersione transferri debet à parte prædicati in partem subiecti, siue resolutum in participium, siue cum additione relatiui: deinde in conuertente debet copula Est o ampliari, ita, vt dicamus, *Est, vel fuit senex*: quia *senex* in conuersa sumebatur tam pro præsentibus, quam pro præteritis senibus, ac proinde pro ijsdẽ sumi debet in conuertente. Quod si *senex* sumeretur etiam pro futuris & possibilibus, tum falsa esset conuersa, & sic non esset mirum si etiam conuertens falsa inferretur. Nullum ergo hoc exem-

exemplo quoque Dialecticæ vulnus impingitur.

n *Plaut Pæn. 1. 3.* o *de hac ampliatione consulendus est Fonseca. libr. 8. Institut. cap. 37. & 38.*

§. 24. Conuersiones enunciationum negatiuarum vniuersalium ex obliquo.

Etiam hinc impluit. Quod enim vniuersales negatiuę simpliciter non cōuertantur, ista quintò exemplo obijci consueuerunt. *Nulla schola est in discipulo, ergo nullus discipulus est in schola: Nullum hospitium est in cantharo, ergo nullus cantharus est in hospitio; Nullum dolium est in vino, ergo nullum vinum est in dolio: Nullus fluuius est in pisce, ergo nullus piscis est in fluuio: Nulla fornax est in igne, ergo nullus ignis est in fornace*, & sexcenta talia, quæ omnia

omnia ostendunt p in caducum parietem inclinare, quisquis prædicta regula nititur. Respondeo non ex regula, sed in regulam peccari prædictis exemplis, quia regula iubet conuerti propositiones, non mutatis terminis in se, sed tantùm ratione situs, seu prædicationis & subiectionis: at in his conuersionibus ipsi termini in se mutantur, quia ex rectis obliqui & ex obliquis recti fiunt. Ita ergo legitimè conuertentur. *Nulla schola est in discipulo. ergo nullum existens in discipulo est schola;* Vel, *Ergo nullũ quod existit in discipulo, est schola.* Ita conuertendæ sunt & ceteræ propositiones; *Nullum hospitium est in cantharo, Nullũ doliũ in vino: Nullus fluuius in pisce: Nulla fornax in igne &c. ergo nullum existens in cantharo, dolio pisce, igne, &c. est hospitium, dolium, fluuius. fornax &c.* Aliqui aiũt cum sit obliquum in huiuscemodi conuersis enunciationibus prædicatũ, fieri

fieri etiam debere in conuertentibus obliquum subiectum; vt, *Nulla schola est in discipulo, ergo in nullo discipulo est schola: Nullum hospitium est in cantharo, ergo in nullo cantharo est hospitium* &c. ita etiam faciendum esse censent in particularibus, vt, *Quidam discipulus est in schola, ergo in quadam schola est discipulus, Quædam ciconia non habet in ore linguam, ergo in quodam ore non habens linguam non est non ciconia.* Quæres an etiã legirupa sit ista conuersio? *Nullus habẽs cæcitatem naturaliter sit videns, ergo nullus videns naturaliter sit habens cæcitatẽ.* Respondeo impensè hanc conuersionem in legem offendere, debet enim in conuersione proba, ex tota prædicato fieri totum subiectum. Sic ergo cõuertenda est: *Nullus habens cæcitatem naturaliter sit videns ergo nullus qui naturaliter sit videns, habet cæcitatem.* Quanquã hæc enunciatio nõ est ex obliquis: cum

præ-

præcipua pars termini seu subiecti in conuersa sit vocabulum *habens.*

p *Ita Hadrianus imperator de Commodo adoptato, & in imperij successorem destinato dictitare consueuit, In caducum parietem inclinamus, & perdidimus quater millies sestertiûm, quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus. Caducum autem parietem vocabat, quod esset valetudinarius, & rebus gerendis inhabilis. Plura adagiorum collector Chiliad. 2. cent. 6.*

§. 25. De conuersione enunciationum affirmatiuarum vniuersalium.

Hæ non *simpliciter* sed *per accidens* conuerti dicuntur. Nec titubat hoc documentum. Nam cum obijcis; *Omne animal est sensitiuum, ergo omne sensitiuum est animal; Omnis homo est risibilis, ergo omne risibile est homo:* &c. hæ conuersiones sunt bonæ, ergo vniuersales affirmatiuæ etiam simpliciter conuertuntur? Respondeo has non esse veras conuersio-

uersiones, sed reciprocationes tantùm, vt q supra appellauimus, adeoque non formales sed materiales consequentias. quia in his differentia vel proprietas cum subiecto reciprocatur. Non autem esse formales consequentias seu conuersiones, vel inde palàm fit, quòd eadem forma seruata peruersè concludatur: verum enim est, quòd *Omnis talpa sit cæca*, si tamen colligere voles, *ergo omne cæcum est talpa*, multi homines cæci te iniuriarum postulabunt. At iam vniuersales affirmantes neque per accidens quidem conuerti, ita probant. *Omnis sacerdos fuit laicus, ergo quidam laicus fuit sacerdos.* In hac conuersionis vmbra, neque verùm vniuersàliter est antecedens, neque vera ipsa consequentia, quid igitur mirum, si & consequens falsum ex tali radice pullulat? Nam & CHRISTVS est sacerdos, nec tamen vnquàm fuit laicus; quomo-

quomodo ergo *omnis sacerdos fuit laicus*? & prior illa enunciatio per posteriorem non ritè conuertitur, vt ex ijs quæ r paulò priùs diximus, intelligi potest. Sic enim conuerti debet. *Omnis sacerdos fuit laicus, ergo quidam qui fuit laicus, est vel fuit sacerdos*, Dico, *est vel fuit*, idque per ampliationem. quia *sacerdos* in conuertente sumi debet, sicut in conuersa: in conuersa autem sumitur pro omnibus præsentibus & præteritis, non autem etiam pro futuris & possibilibus, alioqui impendio falsa esset conuersa. Ante creationem autem mundi non verum erat dicere, *Omnis sacerdos fuit laicus* (etiam si Christus exceptus fuisset) quia sacerdos tunc sumebatur tantum pro futuris & possibilibus. Stat ergo sincerum & inconcussum hoc conuersionis documentum.

q *in hoc 3 capite § 20. vbi de his ex instituto est dictum.* r *in §. 23 huius capitis.*

§. 6.

§. 26. De conuersione vniuersalium affirmantium cum exceptione, aut exclusione.

Nec hic lucet; sed multa nox est. Verissimè enim dicis, *Omne animal, præter hominem, est irrationale*: quòd si inferre voles, *ergo quoddam irrationale est animal præter hominem*, in scopulum inferes cum luculento naufragio Veritatis. Item omnes annuent, si dixeris, *Tantum animal habet sensum*, si autem inde collegeris, *ergo habens sensum est tantum animal*, omnes abnuent. Verùm respondeo has propositiones non esse omnino absolutas, sed *exceptione* & *exclusione* modificatas, & quasi modales. Atq; *exceptio* quidem ex sua natura requirit, vt stet à parte subiecti, & contra orationis naturam nimisque violenter ac impropriè transfertur ad partẽ præ-

 dicati.

dicati. *Exclusio autem* seu particula exclusiua potest quidem propriè transferri à parte subiecti in partem prędicati, vel rursum à parte prædicati, ad partem subiecti, sed sæpe efficeret ex conuersa vera conuertentem falsam, si ita indiscriminatim collocaretur. Qua de caussa *exceptiua* & ferè t etiam *exclusiua* enunciationes, non conuertuntur per se, sed per suas *exponentes*, vt, *Omne animal, præter hominem, est irrationale*, id est, vt nonnulli exponi aiunt (quod in reciprocis terminis ratione materię verum, in materia autem contingenti falsum est, si enim hanc, *Omne animal præter hominem est, immusicum*, exponas, *omne animal, quod non est homo, est immusicum, & nullus homo est immusicus*, regulæ thesaurus carbones erunt) *omne animal, quod non est homo, est irrationale, & nullus homo est irrationalis.* Harum exponentium prior, sic conuertitur: *ergo quod-*

quoddam irrationale est animal, quod non est homo: posterior sic: *ergo nullum irrationale est homo.* Item, si etiam latebras alterius propositionis excutere lubet, *Tantum animal habet sensum*, id est, vt nonnulli exponunt, *omne animal habet sensum, & nullum, quod non sit animal habet sensum.* Harum prior ita conuersionis lege tractabitur: *ergo quoddam habēs sensum, est animal:* posterior autē secundùm easdem conuersionum leges sic expedietur; *ergo nullum habens sensum, est aliquid, quod non sit animal, siue est non animal.* Dixi, vt nōnulli exponunt, quia sanè regula illa nisi in terminis reciprocis non habet locum, adeóque vniuersaliter non valet plus quam regula plumbea aut Lesbia. Væ enim tibi, si cōtingentes ita nolueris exponere, verbi caussa, *Tantùm homo est Grammaticus* quæ est vera, *omnis homo est Grammaticus, & nihil quod non sit homo, est Gram-*

maticum pueri quidem, qui Grammaticam libenter scirent, tam subitò Grammatici facti magnas tibi gratias accumulabunt, sed Dialectici vel Grammatici ipsi in ius te vocabunt. idem videre est etiam in alijs exemplis; vt, *tantùm animal respirat*, non enim licet dicere, *ergo omne animal respirat*. Sed nos exponentes illas exempli gratia tantùm adduximus, vt ostenderemus, quo modo conuertendæ sint exponibiles. Atque hoc pacto nos ictum istum excludendum censemus. Neque enim omnino hoc genus negligendum erat, quotidianis disputationibus non infrequens. *u Sed hæc*, ita quispiam de disciplinis Mathematicis loquitur, *aut omnino non discimus, aut prius desistimus, quam intelligamus cur discenda sint. Voluptas autem vel vtilitas talium disciplinarum in postprincipijs existit, cum perfectæ absolutaq́ sunt. in principijs verò ipsis ineptæ & insuaues videntur.* ¶ *Ratio*

¶ *Ratio est, quia signum exceptiuum ferè semper excipit aliquod subiectum à participatione, cõsertione prædicati. Vt docet Fonseca lib. 3. Instit. ca. 26. & dixi, ferè etiam exclusiuæ, quia Fonseca lib. cit. cap. 25. rectè tradit exclusiuam & signi & Verbi affirmati, conuerti in Vniuersalem affirmatiuam. Hæ siquidem sunt bonæ conuersiones, Tantum animal est ægrum, igitur omne ægrum est animal; Solus homo sermone Vtitur, igitur omne quod sermone Vtitur est homo: & ita reliquæ, huius formæ. Hæc ille. Vbi tamen nihil contra nos docet, qui locuti sumus de cõuersione exponibilium, in qua signa exceptiua, Vel exclusiua seruentur, ti M. Varro apud Gellium.*

§. 27. De conuersione vniuersalium affirmatiuarum cum reduplicatione.

Vt circulum hunc absoluamus, nec istæ sunt dissimulandę. Quid enim consilij capiendum cum talis occurrit enunciatio conuertenda, *Omnis homo, qua rationalis, est risibilis?* an ita dicendum, *ergo quoddam risibile est homo, qua rationalis?* Nequaquam. Sed nimiò me-

liùs sic infertur: *ergo quoddam, quod quà rationale est risibile, est homo*; Cum enim x reduplicatio in conuersa stet à parte prædicati, debet in conuertente stare à parte subiecti, alioquin ex conuersa vera inferes aliquando conuertentem falsam: vt, *Socrates quà homo, est risibilis; ergo quoddam risibile, quà homo, est Socrates*. Licet enim reduplicatio subiecto sit immediatè subiũcta, & videatur stare à parte subiecti, reuera tamen stat à parte prædicati. Quod luculentiùs apparet, si reduplicatiuam particulã mutes in præpositionẽ, PROPTER, aut totam reduplicatiuam enũciationem exponibilem, in enunciationem exponẽtem clariorem transferas, vt, *Socrates, quà homo, est risibilis*, id est, *Socrates propter humanitatem est risibilis*, *ergo quoddam, quod propter humanitatem est risibile, est Socrates*. Item, *Omnis homo, quà rationalis est risibilis*, id est, *Omnis homo est*

risibi-

risibilis, quia rationalis, seu propter rationalitatem; ergo quoddam, quod est risibile, quia rationale, est homo. Verbo dicam. In conuersione reduplicatiuarũ, conuertentis subiectũ, debet constare ex prædicato conuersę, reduplicatione, & eo, super quod cadit reduplicatio addito pronomine QVOD, hoc modo, *Omne animal in quantum homo, est risibile, ergo aliquid quod in quantum homo est risibile, est animal.* Hæc in memoria reconde, & quem difficultatis esse montem putabas, vix collem esse senties.

x *Adeundus tibi pro hoc loco est Fonseca, lib. 3. Instit cap. vltimo, vbi nomen & rem reduplicatiuarum declarat.*

§. 28. An in conuersione vniuersalium affirmantium, sequatur ex propositione necessaria propositio contingens?

Vſque adeò lubricus eſt iſte locus, vt vix alibi tot lapſantes, quot hîc labentes videas. Et ſanè vna catena iunguntur hæ conuerſiones, cum illo ſyllogiſmo, cum quo *a* in parte prima depugnauimus: in quo itidem cõtingens ex neceſſario deduci propemodum videtur. Ita autem negotium eſt. Proponuntur ſequentes conuerſiones cumulatæ difficultate. 1. *Omne vigilans eſt animal, ergo aliquod animal eſt vigilans.* 2. *Omne ſubiectum de facto album, eſt corpus, ergo aliquod corpus eſt ſubiectum de facto album.* 3. *Omne animal reipſa ridens eſt homo, ergo aliquis homo eſt animal reipſa ridens.* 4. *Omnis homo albus eſt homo, ergo quidam homo eſt homo albus.* 5. *Omne Grammaticum eſt homo, ergo aliquis homo eſt Grammaticus.* 6. *Omne dormiens, ſeu quod dormit, eſt viuẽs, ergo aliquod viuens eſt dormiens, ſeu dormit.* En vt in his ſimilibuſque conuerſionibus eſt erro-

ris

1ospitium? quippe cum sit in priore quam necessaria, æterna quædam itas, & tamen posterior enuncia- contingens esse videatur. Atqui in 1æ notæ consequentia contingens 1ecessario sequi non debet, non po- ,ne & falsum ex vero sequatur, indi- 1 tali parente soboles. Curam adhi- e huic malo aliam meliorẽ vix pos- 1us, quàm *b* supra syllogismo in *Da-* acto sit adhibita. Et sanè respondent 1 seurveri, seu sub alieno potiùs no- 1e existimati *c* Conimbricenses in exemplis nõ esse bonas conuersio- ;, si termini non eodem modo acci- ntur. Quis enim vel somnians non elligit, etiam omnibus omnino dor- entibus, tamen verissimam esse hanc pofitionem: *Omne quod vigilat, est mal?* at si omnibus omnino somno ultis inferre velis, *ergo aliquod ani- l vigilat*, omnes tam vocaliter cla-

 mante

mante falsimonia tua à somno excitabis. Item, si nullus in niue candor, in cygno nix, aut nullus cygnei nominis color in toto terrarum orbe existat: si omnia coruis carbonibúsque nigriora essent in toto hoc Vniuerso, tamen verè Philosophicéque diceres, *Omne subiectum de facto album, est corpus*: at eodem rerum statu vultuque permanente nequaquam tibi dicere liceret, *ergo aliquod corpus est subiectum de facto album.* inciperent enim reclamare omnes homines in Æthiopem deformati, omnes aues in coruum picti, omnes lapides & ceteræ res in carbonem pullatæ. Ita etiam si de ceteris loqui exemplis velimus. Etenim in his exẽplis termini conuersarum habent ampliationem, termini autem cõuertentium habent statum. Quia igitur cura est, vt conuersionibus eiuscemodi propositionum consulamus, aio ad bonitatem talium conuersio-

uersionum opus esse, vt termini cõuersarum accipiantur etiam secundum statum: vel vt termini conuertentiũ accipiantur etiam ampliatiuè. Quod si fiat, terminique sumantur in eadẽ suppositione, exempli gratia, si tam subiectum, quàm prædicatum pro existentibus tantùm sumantur, tunc & conuertens & conuersa vera erit, *si aliquid verbi gratia animal existat & vigilet*; falsa autem, *si nullum existat aut nullum vigilet.* Quamuis, vt hoc etiam leuiter attingamus, signum vniuersale *Omne* propriè loquendo requirat plura quam vnum. Vnde si termini in conuersa sumantur non tantùm pro existentibus, sed etiam pro possibilibus, in conuertente autem accipiantur tantùm pro existentibus (vt planè ex communi vsu & vsitato loquendi modo sumi videntur) tunc non est bona consequentia, quia mutatur suppositio

mante falsimonia tua à somno excitabis. Item, si nullus in niue candor, in cygno nix, aut nullus cygnei nominis color in toto terrarum orbe existat: si omnia coruis carbonibusque nigriora essent in toto hoc Vniuerso, tamen verè Philosophicéque diceres, *Omne subiectum de facto album, est corpus*: at eodem rerum statu vultuque permanente nequaquam tibi dicere liceret, *ergo aliquod corpus est subiectum de facto album*. inciperent enim reclamare omnes homines in Æthiopem deformati, omnes aues in coruum picti, omnes lapides & ceteræ res in carbonem pullatæ. Ita etiam si de ceteris loqui exemplis velimus. Etenim in his exēplis termini conuersarum habent ampliationem, termini autem cōuertentium habent statum. Quia igitur cura est, vt conuersionibus eiuscemodi propositionum consulamus, aio ad bonitatem talium conuersio-

uersionum opus esse, vt termini cõuersarum accipiantur etiam secundum statum: vel vt termini conuertentiũ accipiantur etiam ampliatiuè. Quod si fiat, terminique sumantur in eadẽ suppositione, exempli gratia, si tam subiectum, quàm prædicatum pro existentibus tantùm sumantur, tunc & conuertens & conuersa vera erit, *si aliquid* verbi gratia, *animal existat & vigilet*; falsa autem, *si nullum existat aut nullum vigilet.* Quamuis, vt hoc etiam leuiter attingamus, signum vniuersale *Omne* propriè loquendo requirat plura quam vnum. Vnde si termini in conuersa sumantur non tantùm pro existentibus, sed etiam pro possibilibus, in conuertente autem accipiantur tantùm pro existentibus (vt planè ex communi vsu & vsitato loquendi modo sumi videntur) tunc non est bona consequentia, quia mutatur suppo-

 sitio

ſitio terminorum: ſicut neque in hoc ſyllogiſmo, *e Omnis homo Phyſicus eſt ſciens omnis homo Phyſicus eſt animal,ergo quoddā animal eſt ſciens*, eſt enim nullo animali quidquam ſciente maior & minor vera, niſi itidem ex ſuppoſitione, ſed periculosè loqui, & conſequens neceſſarium vocare velimus. Sed tunc mirum eſt, qua licentia ex meris hypotheticis, abſoluta concluſio inferatur. Concedere enim poſſum, *Si Phyſicus eſt, animal eſt*, non autem debeo mox etiam concedere, *ergo aliquod animal de facto eſt Phyſicum*. Adhuc cura cor tibi mouet, ſcire enim deſiderabis, an tot propoſitiones *vniuerſales affirmatiuæ* conuerti nō poſſint? cum *conuerſio* proprietas eſſe propoſitionum, adeoque omnibus cōuenire videatur? Reſpondeo valde probabile videri, multas vel penitus non conuerti, vel conuerti oportere ita, vti diximus, terminis ſcilicet vel

vel vtrinque secundum statum, vel vtrinque ampliatiuè acceptis; quod tamen ipsum satis à periculo propè abest, tum quia contra vsitatū loquendi modum inducitur, & extra communem viam graditur; tum, quia aliqua difficultas noua subnascitur, quęri enim denuò potest, an tunc vtraque propositio? vel, an neutra? vel, an alterutra cōuersionis sit neçessaria? & an nō adhuc ex necessaria contingens inferatur? Licet fortasse ad hanc difficultatem dici possit, in tali quamuis inusitata acceptione enūciationum, si vtraque ampliatiuè sumatur, vtramque fore necessariam: sin autem vtraque statum habeat, tunc sicut conuertens est contingens, sic & conuersam non fore necessariam, quia prout est conuersa (ex hypothesi antè significata) sic non est vera, nisi termini existant: at necessariæ propositiones semper sunt veræ, etiamsi termini non

existant. Hęc autem ipsa quia satis insolida sunt, & nihilominus alias ob caussas etiam cum *statu* illo conuersæ videntur esse necessariæ, (variè enim necessariæ sumi possunt) saltem aliqua necessitate; idcirco fortasse meliùs respondetur, multas eiuscemodi enunciationes penitus non conuerti. Neque id absurdum est, non enim *conuersio* tam arcta familiaritate cum enunciatione coniungitur, vt sit proprietas, quæ omni omnino conuersioni æterna pertinacia conueniat. Nam vtique etiam enunciationes negatiuæ particulares, constantes subiecto communi, prædicato autem singulari, sunt enunciationes & tamen omnium Logicorum calculo à conuersione absoluuntur, *si darentur enim conuersa vera, & conuertentes falsa*, ait Fonseca, vt si dicas, *aliquis Philosophus non est Socrates, ergo Socrates non est Philosophus*. Neque idcirco suspicari debes,

bes, hoc pacto nullam vniuersalem affirmatiuam fore, quę per accidens conuertatur: conuertentur enim saltē illæ, quæ vtrinq; æqualem necessitatem habent vt, *Omne sensitiuum est animal, ergo quoddam animal est sensitiuū. Omnis homo est rationalis, ergo quoddā rationale est homo. Omnis homo est risibilis, ergo quoddam risibile est homo. Omne vegetatiuū est corpus viuens, ergo quoddam corpus viuēs est vegetatiuum* &c. Ad hæc cōfirmanda facit, quod etiam *g* Zabarella docet, necessitatem scilicet enunciationum esse variam. Aliæ enim sunt simpliciter necessariæ, quarum scilicet & subiectum ita pendet à prędicato, vt sine eo existere nequeat, & vicissim prædicatū à subiecto, quales sunt modò allatę enunciationes: Aliæ autem enunciationes in rigore censentur tantùm secundū quid, seu saltem non ita vt priores necessarię, in quibus nempe subiectum ita pendet à prædicato, vt sine eo esse nequeat: prædi-

prædicatum tamen non ita pendet à ſubiecto, vt, *omne vigilans eſt animal*, nã licet vigilans non poſſit exiſtere niſi etiam exiſtat animal, poteſt tamẽ animal exiſtere, etiamſi non exiſtat vigilans. Quamuis communiter huiuſcemodi propoſitio etiam admittitur inter neceſſarias ſimpliciter dictas, quia ſaltem neceſſaria eſt ex ſuppoſitione ſubiecti, in rigore tamen loquendo, vt dixi, & neceſſitatem eius comparando cũ neceſſitate illa priorum enunciationum, in quibus vtrinq; æqualis neceſſitas eſt tam prædicati à ſubiecto, quam ſubiecti à prædicato pẽdentis, dici poteſt neceſſaria ſecundùm quid. Quæ denique oratio tantum neceſſaria eſt ex ſuppoſitione prędicati, ea potiùs dicitur contingens, quam neceſſaria, vt, *aliquod animal vigilat*. Ex his ergo tribus generibus enunciationum, primum & vltimum tutò conuertuntur, medium, qui

con-

conuertere volet, ſciat non ſat id eſſe, ni etiam oſtendat, quomodo nõ ſequatur ex neceſſario contingens, id vbi fecerit, in ſuam ſententiam pedibus vltrò euntem traxerit.

a *parte 1. huius libelli. cap. 6. §. 59.* b *ibidem.* c *prima editione nomine Conimbricenſium ὑulgata. 1. Prior. q. 1. in cap. 2. & 3* d *quid ſtatus. quid ampliatio ſuppono ex Fonſeca lib 8. Inſtitut. cap. 36. & duobus ſeqq.* e *hic ſyllogiſmus eſt, de quo ſupra in 1 p. cap. 6. §. 58.* f *Fonſeca. lib. 3 Inſtitut cap. 8.* g *Iac. Zabarell. in Logic.*

§. 29. De conuerſione enunciationum affirmatiuarum particularium.

Præceptum eſt de iſtis, vt ſimpliciter conuertantur, ſed ſi animum aduertis, & ipſum nebulis obnoxium, quas hoc §. diſſipabimus. Obijcitur ergo primò, *Aliquis homo eſt mortuus*, & multorum acerbæ lachrymæ hoc teſtantur: quod ſi autem inferas, *ergo aliquod mortuum eſt homo*, Logico adhuc in cunis habitanti,

tanti, fluctus in animum iniicies. Sed nihilominus respondendum est, bonam hanc esse cõuersionem, si rectè æstimetur: tum videlicet, si subiectum conuersæ in conuertente accipiatur, quemadmodum in conuersa fuerat acceptum, nempe pro re præterita, nõ pro præsente. Vt sensus sit, *aliquis homo, qui iam non est sed fuit, est mortuus*, *ergo aliquod mortuum est homo, qui iam non est, sed fuit*. Nã si terminus, *homo*, in cõuertente habeat statum, & pro solis existentibus hominibus sumatur, tum falsa est, & pessima conuersio; quia terminus, *homo*, in conuersa habuit ampliationem, scilicet *aliquis qui est, aut fuit homo, est mortuus*. Rectè itaque si conuertitur, *ergo aliquod mortuum est, aut fuit homo*.

Obijcitur secundò: *Aliqua species est homo, ergo aliquis homo est species*. Respõdeo paleas hîc pro frumento vendi cũ enim mutetur suppositio terminorum,

eò quod in conuersa, *homo*, habeat suppositionem simplicem, in conuertente autem personalem, contra leges cõuersionis bonæ, quomodo potest hæc conuersio subsistere, tam fragili fundamento nixa? Preciosior fortasse fieret conuersio, si ita diceretur, *ergo aliquid, quod est homo* (præcisè acceptus) *est species*. Neque contra hanc conuersionem perinde concriminari licet, atque contra priorem, ei qui adyta Vniuersalium rectè penetrauit.

Obijcitur tertiò. *Aliquis homo incipit, vel desinit esse albus*, in metu enim cũ exalbescit, incipit, in laqueo, cum suffocatur, desinit esse albus, *ergo aliquod album incipit vel desinit esse homo*: nec enim qui metu madet, & pallore albet, tum primùm incipit esse homo; nec qui nigrũ in cute colorem trahit (potest enim & ad solem æthiopissare) eo ipso desinit esse homo. Verũ dicendũ est hanc etiã

conuer-

conuerſionem crimine non carere. & ſic corrigendum eſſe. *Aliquis homo incipit vel deſinit eſſe albus, ergo aliquod quod incipit, vel deſinit eſſe albũ, eſt homo.* Cauſſa huius correctionis eſt, quia in priore illa vitioſa conuerſione nõ transfertur totum prædicatum in locum ſubiecti, imo præcipua pars prædicati in ſuo loco relinquitur. Nam in conuerſa ſubiectum erat, *homo*, prædicatum, *incipit vel deſinit eſſe albus*, ex quo tantùm vox, *albus*, in conuertente transferebatur, & potior eius pars quæ eſt, *incipit vel deſinit eſſe* in loco prædicati, non ſine malo dolo relinquebatur.

§. 30. Quomodo particulares affirmantes obliquo, vel ſolo ſubiecto & verbo conſtantes, itemque illa, quæ eſt de Diuino Verbo, ſit conuertenda?

Obiici-

Obijcitur quartò. *Pudet me tui* patrem ſcilicet ingenuum & frugi, filij per omnia flagitiorum indécora ſe ſe præcipitantis, *ergo pudet te mei*, cum tamen filius vſque patris honeſtate glorioſum ſe facere ſtudeat. Sed reſpondeo, tales propoſitiones ex imperſonalibus & obliquis conflatas, ad verba perſonalia & caſus rectos reuocandos eſſe, verb. grat. *pudet me tui*, id eſt *ille cuius me pudet, es tu, ergo tu es ille cuius me pudet*: Alij aiunt ſic ſub conuerſionis iugum mittendas, *Pudet me tui, ergo tu es cuius me pudet*. Vel, vt clariùs, quam æquiualentiùs vertunt, *ergo tui quem pudet ego ſum*. Quanquam ab hoc conuerſionum genere, non pendet Romanum imperium. Neq; ob id occiſa res eſt Logica, ſi cõſimiles enunciationes minus concinnè vertas rarior enim harum occurrit vſus.

Obijcitur quintò: ſi dicam, *Homo*

currit,

currit, & conuertam ita, *ergo currit homo*, vel nihil, vel nugas ago, quia Logicè non tantillo verto, semper enim τὸ *currit* manet prædicatũ, quia semper verbum. Respondeo in talibus enunciationibus verbum resoluendum esse in copulam & participiũ eius verbi, vt, *Homo currit, ergo currens est homo*. Et ratio est, quia conuersio tantùm fit inter extrema, seu inter terminos propositionis, id est, inter subiectum & prædicatum, copula *Est*, interim semper immobiliter permanente ex parte prædicati, cum copula nec subiectum sit, nec prędicatum, vt à *h* Logicis docetur. Eadem ratio est, cum dicitur, *Piscis est in fluuio, ergo existens in fluuio est piscis*: quia in conuersa verbum *Est* censetur pars prædicati, in cõuertente autem fit subiectum per participium *Existens*, prout fuit pars prædicati in conuersa; prout verò erat copula, manet in medio. Est

autem

autem in conuersa verbum, *Est*, pars prædicati, quia obliquus non potest esse prædicatum totale Quando autē sola prædicata cōstant obliquis, rectus in verbo inclusus, vna cum obliquo, subiecti loco est in conuertente collocandus, vt, *Liber est Petri, ergo aliquod ens Petri, est liber.* Quod si tam subiecta, quàm prędicata constent obliquis, tum subiectum conuertentis erit ex rectis, vt, *Me tædet vitæ, ergo vita est, cuius me tædet.* Ab his legibus non pedem oportet discedere eum, qui vult Veritati etiam in minimis istis adhærere.

Obijcitur sextò. *Deus factus est homo, ergo homo factus est Deus.* Respondetur conuenienter *à* S. Thomæ, non esse rectam conuersionem. Sicut enim hæc *Homo factus est albus*, nō ita, *Albus factus est homo*, sed potiùs sic conuerti debet, *Is qui factus est albus, est homo*, ita huius enunciationis, *Deus factus est homo*, conuertens

uertens est, *qui factus est homo, est Deus,* non autem illa, *homo factus est Deus.* Sed hoc fori magis est Theologici, quàm Logici, præsertim si non vim conuersionis, sed enunciationis istius examinemus.

h *in librum 1. Perihermenias.* i *S. Thom. 3. p. q. 16. a. 7 vbi ex instituto disputatur, quo sensu hac enunciatio sit falsa.*

§. 31. De conuersione particularis negatiuæ.

De hac quæritur an sit materia conuersionis? Et quidem si de conuersione strictè loqui libet, non est semper, vt ex k ante dictis liquet: si verò de conuersione per contrapositionem agamus, tum proba materies est conuersionis, si probum adhibes fabrum. Quæritur porrò quando, cur, vel cur non, conuertatur particularis negatiua simpliciter? Respondetur l si particularis constet terminis communibus, non conuerti

uerti simpliciter, quia vt dicatur aliqua propositio simpliciter conuerti, opus est vt semper conuerti possit, est enim conuersio *m* formalis consequentia, iuxta sententiam probatiorum auctorum. Quamobrem etiam vniuersalis affirmatiua non conuertitur simpliciter: etsi enim nonnullæ *n* ratione materiæ certæ sic conuertantur, vt, *omne flebile est risibile, ergo omne risibile est flebile,* non tamen omnis affirmatiua sic potest conuerti. Pari ratione etiam in proposito, licet aliqua particularis negatiua videatur conuerti simpliciter, quando scilicet tanquam subalterna infertur ex vera negatiua vniuersali, verb. grat. *Nullus homo est lapis,* &, *Nullus lapis est homo,* ex vtraque sequitur, *aliquem hominem non esse lapidem,* &, *aliquem lapidem non esse hominem.* Verum hoc tantùm contingit ratione materiæ, cum non valeat in omni materia, aut in om-

ni particulari negatiua, quando scilicet ipsa vera est, & eius vniuersalis negatiua falsa, vt, *Nullum animal est homo*, est propositio falsa, eius tamen subalterna, *aliquod animal non est homo*, vera est; nec tamen potest simpliciter conuerti, vt dicas, *ergo aliquis homo non est animal*, cuius rei ratio est, quia terminus *animal*, in conuertente sumitur copulatiuè, propter negationem, quæ prædicatum distribuit: in conuersa autem, sumitur disiunctiuè, adeoq; est progressus à termino non distributo, ad distributum. Quæritur deniq; vtrum in hac negatiua sit bona conuersio, *Deus non semper fuit creans, ergo creans non semper fuit Deus*? Dico non esse bonam, sed sic debere conuerti: *Deus non semper fuit creans, ergo is qui non semper fuit creans, est Deus* Nam aduerbia (inter quæ est etiam illud SEMPER) & syncategoremata quæuis prædicato adiecta in conuersio-

uersione ex parte prædicati transferri debent in partem subiecti. Sed hæc ad creatoris nostri gloriam dicta sufficiunto: quæ qui legit, si non habet, quod approbet, habet saltem quod refutet.

k §. 28. supra. l Fonseca. libr. 3. Institut cap. 8. m Idem lib. 6. Institut. cap. 1. inter quatuor consequentiarum genera conuersionem tertio loco numerat & eodem libr. 6. cap. 3 formalem consequentiam uocat. n Recurre ad ea qua §. 20. in hoc ipso capite pramonuimus.

Cum facultate Superiorum.

DE BONI ET MALI SYLLOGISMI PRECIO, AD LECTORES.

Cur hodie toties propè totus fallitur Orbis?
Noscere rē vultis? FALLIER IPSE CVPIT.
Quando SOPHVS *loquitur, mox dicitur esse* SOPHISTA:
Quando SOPHISTA *fuit, creditur esse* SOPHVS.

Aliud de eodem argumento.

Abijce diuitias, quisquis cupis esse beatus,
CHRISTVS *ait: cur non tu quoque,* LECTOR, *ais?*
Vtere diuitijs, ætas longißima restat,
MVNDVS *ait: cur non esse* SOPHISMA *vides?*
Nempe seuera nimis CHRISTI *doctrina putatur:*
Discipulos plures & schola blanda trahit.
O quanta hæc rabies? LOGICAE *præcepta iuuentus,*
Ne VERVM *agnoscat, discere posse negat.*

INDEX

INDEX CAPITVM PRIMÆ PARTIS LIbelli de Bono & Malo syllogismo.

M 3 Pars

Pars Altera.

Præfatio.

§. 9.

Caput II.

Quid ad Insolubiles responderi vel soleat vel debeat.

Caput III.


De Conuersione Absolutarum Propositionum.

§. 26.

FINIS.










IHS